6

F. 30.

7
1-4
6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
2 C
26

7
XI
(2)1

7.1.b.6

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom: Prof: Rom. S. I. Bib: Com:

DESCRIPTIO APPARATVS

QVO IN FESTO

SANCTI IGNATII

Societatis IESV Fundatoris

ANNVM MDCXXXX.

EIVSDEM SOCIETATIS

CENTESIMVM

CELEBRAVIT COLLEGIVM ROMANVM:

PRAEP. GEN. SOCIETATIS IESU
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA

PER FR. FRANCISCVM DE LONGOBARDIS
Ordinis Minimorum

Tunc ibidem ſecularem Diſcipulum,

Expoſita, & nunc in lucem edita,

AC REVERENDISSIMO PATRI

CAROLO DE NOYELLE

SOCIETATIS PRAEPOSITO GENERALI

Dicata.

VITTORIO EMANUELE IN ROMA

ROMÆ, Ex Typographia Vareſij. MDCLXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI
CAROLO DE NOYELLE
SOCIETATIS IESV
PRAEPOSITO GENERALI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Fr. Franciſcus de Longobardis Ordinis Minimorum F.P.

HAS (REVERENDISSIME PATER) ſub IGNATIO priùs Milite, mox Duce, ſeù Laureas triumphales, ſiuè Humani Generis Ciuicas, nè diutiùs exareſcerent, ad Capitolij radices tandem collectas operæpretium duxi, Romæ iterum ſupercilio ſuſpiciendas exponere. Vltor ſcilicet eiuſdem ſeculi rapientis, ac profugi, quod tamen illas; dum perit, parit, dum enititur, deuorat; ac dum in ſe redit, non minùs Æternitatem quàm Coronas, atque Orbes reflexo capite reddit. Emerſere tot domeſtica lumina, ſeù publica ſidera ab vmbris ad lucem, cùm quadrageſimo huius ſeculi anno anniuerſariam, ſed natalitiam, & immortalem diem clauderet, ac panderet eo Sep-

Hebræi' apud Lyran & Toſt.

tembris menſe, quo natus creditur Orbis; Iano tamen ſui ſimilis, qui in ipſo mortis occaſu ad vitam renaſcitur, & quaſi poſtliminij iure poſthabitis è penetralibus nouas pugnas, ac victorias, reparatis viribus, referat. An non, ſi ita eidem IGNATIO tuo tota Vrna, omnibuſque calculis Vaticanum iudicium, atque oraculum ſuffragia tulit, natum ſcilicet parentem, ac filiam Societatem cùm ab Aquilone omnium malorum furiæ, & à

Eccl. in a Lect. Ierem. 1. 14.

Septentrione in ſeptem Romæ Colles Hydra multiplex pluſquàm lernæis capitibus pullularet. Sed præſto ſuo cum ferro, atque igne IGNATIVS ille fuit, qui Hercule fortior, vel in cunis Hydras extingueret: nec eo contentus igne, quem nomine præferebat,

An. 1521 20 Maij Orland. in Vita.

in Pampelonenſi propugnatione altero Pentecoſtes die igneo ictu percuſſus, totas illas faces, ac linguas ad animarum rudimentum, cælitus hauſiſſe viſus eſt ac ſi diceret:

Thren. 1. 13.

immiſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me, Leone melior cuius ex oſſibus ignis erumpit.

At parum etiam hoc, niſi tunc ſimul temporis nouus Orbis Oceani ab aquis, vtpote Baptiſmi inhians fontibus enataſſet, ac

Iuuen. Sat. 3.

ſi cum Alexandro quoque diceret: *Vnus non ſufficit Orbis*, quem hic Hiſpanus Hercules

Atlan-

Atlanticum poſt mare ſuis humeris ſuffulciret : cuique conceptas iam flammas, non Phaëton, ſed Sol ad ſalutem infunderet, vt nimirum veluti poſt acceptas tanto ab incendio linguas, cùm Socios, vti Apoſtolicos Præcones vndequaque dimitteret, dici meritò poſſet: *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Sic ab igne, vt Phœnix tunc exorta Societas, cùm Columbus Chriſtophorus, nouum illi ab aquis peperit Orbem. Nec ſine arcano, ac miraculo fuit, quod ab igne claudus IGNATIVS tantùm terrarum excurreret, filioſque edoceret, & vti Aquila ad volatum inſtrueret. Quod ſi Adami coſta ab Hebræo claudicatio dicitur; quis neget illum noui Orbis parentem, qui Societatem, alteram quaſi Euam, exacto ab Oſſe, ſiue claudicatione ædificare incepit? Societas, quam priùs Manreſano in antro pluſquàm vnius tridui ſomno, ni morte defunctus, vel in extaſi cum Adam, vel cum Paulo in Cælis conceperat, tum caput extulit, cùm eam veluti cum Chriſto totidem diebus è tumulo vocauit ad vitam. Quidni, ſi illius quoque per veſtigia XAVERIVS ipſe, & *vt Gigas exultauit ad currendam viam*, & vt Sol totum Orientem non minùs aquis, quàm

Pſ. 18. 5. Manii. Bartol. in Vit. lib. 1. n. 2.

Pereir. in Gen. c. 2. lib. 4 q. 3.

Bart. ib. n. 14.

Pſ. 18. 6.

Bartoli in eius Vita fol. 7. quàm radijs perluſtrauit. Cæperat hic etiam tunc claudicare, cùm, vt ſaltus corrigeret iam præteritos, ipſo in itinere comes, quaſi compede conſtringere voluit. Sed quid inde (quod de velociſſimo Curſore ab Theodoſio dictum eſt) anguſtum ſibi fecit Orbem Terrarum: ſi paucorum annorum curriculo plura paſſuum millia, quàm Victoria Nauis totum Orbem complexa, confecit, ipſos aditurus Antipodas: ſi pluries Tropici Zonam emenſus, incertum fecit, velocior nè XAVERIVS cùm diuinum Solem cruci affixum marino accepit à Canero, an cùm in cæleſti nullum viſus eſt habere ſolſtitium.

Niceph. lib 14. c 15. Io: Metell.

Bart. ib. fol 81.

Bart ib. fol 5.

Natus 1497. Neque XAVERIO quoque præſagia, ac præludia defuere, cuius penè ſub oculis, atque inter primordia audax ille, neſcio Typhis, an Dædalus VASQVIVS GAMMA, torrida per Antartici ſidera, atque horrida Oceani itinera, Europa, Africaque poſthabitis, in Aſiam, ad ipſa nimirum Solis incunabula vela, ac volatum intendit: Luſitanus ſcilicet, cuius Regis ſub auſpicijs, vt FRANCISCVS vtramque Orbis partem Chriſto ſubigeret, debuit ille vti Præcurſor, ac Prodromus viam ſternere; ni dicendum potiùs ſit,

Bart. vbi ſup. l 1. n 3.

Eodem an. 1495.

Solis

Solis in curru ſua Naui aurigam ſe gerere. Et quia Regio Luſitaniæ in Stemmate quinque barbarorum Regum clypei hactenus dimicant, vnus reliquis XAVERIVS erat, qui ſub Fidei ſcuto religioſa tot Regum capita coronaret, ac tegeret; niſi quod à Mauricis, Turciſque capitibus plures Lunas luſtrali fonte dilueret. Ita Cælo temporum ordines diſponente, vt vndequaque, vel Ligur COLVMBVS, vel Etruſcus AMERICVS, vel Luſitanus GAMMA inter eadem annorum ſpatia IGNATII filijs bella, ac victorias præpararent; ac ſi dato ſigno omnes ſimul ad vnius Societatis curſum, metamque concurrerent, dicerentque cum Alexandro: *dà Reges, vt curram*. Ni præſtantius illud nomen ſit, quod in Luſitania pertranſiens XAVERIVS omnibus Socijs, nempè Apoſtolorum, reliquit; vt vbi in Regio Stemmate trigeſimus numerus per ſcuta, ac vulnera radiat; indè Apoſtoli ad redimendam ſuo ſanguine Chriſti Fidem, emergerent. Quid quod Pampilonenſi in Arce cadens, ac proſtratus IGNATIVS, neſcias alter Adam, an Paulus fuerit, qui Damaſceno in campo vtrique Orbi nouum Apoſtolum parturiret. Et quidem tot palmarum ſemina, ſeu potiùs noua Capitolij

Ephes. 6. 16.

Plutarc. in Apophteg.

lij

lij rudera Pariſijs iacta, non modò, quod ſapientiſſimo illo è Lycæo tot vtriuſque Palladis capita prodiere, ſed quod in monte Martyrum, præmiſſo votorum Sacramento, ac iurata inter Gallos in Petrum fide, Romæ non minùs, quàm Vrbi illi maximæ vitam pro pignore, atque obſide dederant: & quia ille ſub FERDINANDO Rege Catholico miles prima ſtipendia fecerat, hac quoque ſub teſſera dux, & ſcripta iam cohors, ſtuduit ſeſe bellis, ac victorijs deſpondere. Sumpto tamen à Martyrum nomine omine, quos plures aliquando hoſtium inter fulmina fortaſſe gigneret laureatos; ac ſi vel tunc de his Aquilæ filijs in Petra nidificantibus Iob
C.39.33. prædiceret: *Pulli eius lambent ſanguinem*.

Bart. ib. l.2.n.49. Sed parum etiam hoc, niſi hoc eodem Sacramento Romæ, & in Templo Diui Pauli renouato ab Apoſtoli gladio ſibimet inaugurata Martyrium oſtenderet: niſi ſibi in votis antiquior, quàm ab ipſo lacte ſpargendi ſanguinem ſitis, ipſoque vitæ in veſtibulo mortis fames. Nec voto fraudata, ſed
Idem ib. n.33. & l.1.n.14. aucta Societas cùm Hieroſolymæ iter repetere, atque arripere nequijt, vtpotè quæ non in vnius Aſiæ, ſed in omnes Orbis partes deſtinata, eò iam oculos, ac pedes intenderat:

nec

nec ſolum æterni Solis ſepulcrum, & vrnam optabat inuiſere, ſed calcatis etiam fractiſque eiuſdem Lunæ cornibus de Meridie, deque Heſpero ſuo lumine triumphare.

Huius tandem, vt voti compos foret IGNATIVS, ex varijs nationibus compoſito Militari manipulo, Romæ, vbi Chriſtus crucem baiulans vadem ſe illis verbis exhibue- 1538.
rat: *Ego Vobis Romæ propitius ero*: potuit, & Ricciol. Bart. ib.
ipſo Regio canere cum Propheta: *Euntes* l. 2. n. 39. Pſal. 125
ibant, & flebant mittentes ſemina ſua: venientes 78.
autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos; illius nimirum Crucis ſub vomere excolens, quæ priùs ad extirpanda lolia coacta Cant. 7, 2
Pariſijs Aceruus videri poterant Tritici vallatus lilijs. Etenim qui modò ſeſe Diui Pauli in Templo pro victimis libenter obtulerant, alium bono omine, rectoque itinere offenderunt in PAVLVM ſcilicet TERTIVM, qui Petri vices gerens ſelectos ſo- Luc. 5.
cios ad piſcium, ideſt Hominum capturam 10. & 7.
annuens, in Nauim alliceret, & ad retia admitteret eo edito, cùm oblatas cælitus leges videret, Oraculo: *Verè digitus Dei eſt hìc*; In viuæ vocis oraculo.
qui pro liberando Dei populo vbique obduratos hoſtes in Rubrum demergeret, eodem Exod. 8. 19. & c.
nimirum ſanguine, quem pro Agno ipſi pro- 15. 4.

fun-

Incip. Regimini ann. 1540. Exod. 3. funderent. Eratque tunc quadrageſimus miſterio non carens, vtpote nouo quaſi è Sina daturus ſuis militibus vno ſub nomine tabulas: & qui Pentecoſtes die ardenti, quaſi in Rubo ignem expertus cæleſtem Pampelonenſi in Arce tuenda ceciderat, in quadrageſimo ipſo nouam nactus Pentecoſtem, eandem, quam tunc concipere cæperat Societatem in Plin in probl. 7. lucem, ſed letitiæ cùm lacrymis, parturiret: experimento doctus in homine prima die fletum, nonniſi quadrageſimo riſum erum-Matt. 17. Exod. 34 28. 3 Reg. 19. 8. Matt. 4. 2 pere. Sed illud quoque in augurium victoriarum, & gloriæ, quod in Thabor, vbi tota Cælorum gaudia patuere, tres, qui quadraginta dierum ieiunium ante peregerant, Moyſis Luna, Eliæ Sol inoccidui Solis ſpectaculo interfuere. Nec niſi poſt totidem dies rediuiuus è tumulo Sol in Olìueti vertice abitus, redituſque reliquit veſtigia adoHieron. de loc. Hebr. 2 Cor. 3. 4. randa, miſſurus ſuis Columbam ignibus coronandam. At quanam die cæleſtis illa Lex non in lapidibus, ſed in cordibus exarata, nec tam Plumbeo, quàm Adamantino numiſmate munita proſilijt? an non SANCTORVM COSMÆ, & DAMIANI; nempe quod non ſolum, vel tunc illi plurimos futuros Martyres Pariſijs quodammodo initiatos vlterius

Piſca-

Piſcatoris ſub Annulo deſponderet; ſed quod Coſmus Mundum ſignificans, innueret eos ad Mundi conuerſionem ea genitos die: & quia illi medici hos quoque ad hominum medelam, ac ſalutem miſſos: qui *exorto iam* Malac. 4.2.
Iuſtitiæ Sole ſanitatem ferrent in pennis, quique Apoc. 22.2.
ſcientiæ, vitæque ab arboribus ad ſanitatem l.28 c. 2.
gentium folia carperent, ſpargerentque. Quia verò, vt Plinius ait: *Remedia ſolers Natura pinxit in floribus*: eos cæleſtes Medici obtulerunt, quos verè cæleſtes idem PAVLVS FARNESIANO ferebat in Stemmate, vt qui aurea inter Galliæ Lilia prima ſalutis ſemina iecerant, ferrugineos, nempè bellicos inter Hyacinthos in campum erumperent. Effectumque vtrobique eſt, vt dici meritò poſſet: *Manus* Cant. 5. 14.
eius tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis, ac nullo Virgilij ænigmate: *Inſcripti nomina Regum naſcantur flores*: Eclog. 3.
præmonito quoque Humano genere hos honorandos Medicos, quos propter neceſſitatem creauit Altiſſimus; nec tu- Eccl. 38 1.
tò mortalium curam ijs committi, qui dicant: *Non ſum Medicus*. Iſa. 3.7.

Nec tamen hæc ſatis, ni eiuſdem PAVLI prouida, ac prodiga Gens IGNATIO, ac Societati Romæ etiam faſcias, atque incunabula præbuiſſet, ea in Domo, atque in Tem-

plo, quod conditori, totque Heroum parenti condidit ALEXANDER, eo cum Magno diſ-
Plutárc. in Vita. crimine, quod ille eadem nocte, qua in lu-
Iob. 29. 18. cem editus Epheſinum vti Pyrauſtam extin-
Tyguri-na, & ex græco. xit in ignibus; hic vti Phenicem ſuo è nidulo, vt dies multiplicaret, accendit; Dianæ, ideſt Lunæ, ille ædificium diruit, hic IESV, ideſt Solis pro miraculo excitauit: geminato ibidem felicitatis augurio, vel quod IESV, ideſt Saluatori inchoatam ſub Medicis
An 1575 ædem fundaret, vel quod anno Iubilei Anniuerſario Romæ, atque Orbi iubilum inſtauraret.

Nec Farneſianæ Domui ingrata Societas, quæ primum illi proprio ſanguine purpuratum proprio nomine CRIMINALEM PARMENSEM, inter eius præcipua decora, atque inſignia ſpectacula reddidit; ac ſi pro Chriſto innocens Victima hoſtibus pro crimine, Benefactoribus pro gloria ſit: primuſque Dux, iactare illo ſub gladio, atque hoc
Virg. æneid. 9. ſub clypeo poſſit: *Enſe leuis nudo, nec Parma*
Ouid. l. 13 Met. *inglorius alba*: purpurans ſuo ſanguine Hyacinthos, quos ferreos Aiacis enſis effecerat; atque eo ſcribi dignus in Albo, quem ſuo ſanguine rubricauerat. Quoniam verò mihi quoque alba, ac propitia ſors arriſit, vt exa-

cti

Digitized by Google

cti ſeculi priùs felix ſpectator in Circo, mox in campo ſedulus collector euaſerim, cùm illius index, ac circulus Romano in Collegio, breuem redactus in Orbem, potuit parca potiùs de auaritia queri, quod tot opum copiam eas inter anguſtias redegiſſet; imitata Infantis illius audaciam, qui Africano in litore, exiguaque in fouea, ſiue concha totius Maris effrænem licentiam coërcere meditabatur, Auguſtini illudens ſimul, ac præludens ingenio, qui cùm Chriſtum Hoſpitem domi excepit totum Solem Aquarij vnius in vrna viſus eſt mergere. Sed vt veriùs loquar Ego quoque ſollicitam Ruth ſolertiam ſequens ſpicilegium potiùs poſt tot meſſorum veſtigia facere aggreſſus, eò temeritatis ſomniator deueni, vt circumſtantes in arca manipulos vnum redactos in faſcem, quaſi in ara, Romæ iterum adorandos exponam; atque eò maximè aliquam ni laudem, veniam promeritus, quòd illos iterum coniurata modeſtiæ obliuio humi condere conabatur; idemque ſeculi ſerpens, vt ſenium exueret inter anfractus, ac lapides toto corpore occuleret, inſitaque à natura prudentia ſuo in Orbe *omnes incantantium ſapienter voces obturatis auribus adhuc excluderet*. Ne igitur ille

In Vita S. Aug.

Ibidem.

Ruth. 2. 7.

Gen. 37. 7.

Pſ. 57. 6.

cele-

celebretur vlterius , nedum Diuini Verbi vim, ac manum adhibui, de quo Propheta
Iſa.11. 8. prædixerat : *delectabitur Infans ab vbere ſuper foramine aſpidis* : & fortaſſe Moyſis quoque, vt illum ſiſterem , virgam arripere debui, dum illum ad aliorum ſtuporem , ac plauſum iuueneſcere, & ſerpere docui; niſi quod non ea mihi in ſtylo felicitas , eaque in ca-
Horat. in epod. lib.in fin lamo fæcunditas , vt poſſim Romæ Venuſino cum Lyrico, & ſeculum figere, & carmen condere ſeculare; & cycneo ſpiritu annum canere immortalem.

Sed quantum illud eſt , quod nunc rudibus, atque elinguibus his in folijs ſilet, ac tunc vel in Roſtris , vel in Theatris , vel Oratorio , vel Poetico ſtylo exaratum immen-
Virg. Georg. lib.2. ſam excreuit in meſſem , ac famam pluſquàm centum per linguas, oraque centum, & loqui , & volitare perdocuit ſua nos co-
Plin.lib. 35. c.10. pia inopes faciens , ac Timantis veluti ſub velo Parentum, ac filiorum præ lætitia lacrymas, ac viſum obnubilans , vix his in lineis adumbratam operis molem in proſpectu, fugaque propoſuit? Atque vtinam meo exemplo hoc aſſequar, vt reliqui ad redimendam tanti cenſus, fœnoriſque iacturam, pretioſas illas fodinas, nedum reliquias , vel poſthabi-

tas,

Digitized by Google

tas; vel neglectas ſeculi ipſius è viſceribus effodiant, è faucibus vindicent; nè diutiùs quas eloquens Mercurius luculentèr inſtruxit, inuidus Harpocrates, impoſito ori digito, obliteret. Has ego præclariſſimas, nedum' famoſas imagines poſterorum oculis ſubijcere volui, eorum pictorum imitatus artem, qui ſuis in tabulis loquebantur magis, quod deerat; ac ſi videntium in fide reponerent, quod capiebatur ignotum, aſpiciebatur inuiſum. Eò igitur redeo, vndè exorſus, noſtrum nimirum in ſeculum ſemet deuorans, ac parturiens, & Cadmeo angue præſtantius, quod milites fortiores egerminans, GREGORII ſcilicet in Collegio, ac ſub Dracone, à quo hoc ipſum ſuo in Gymnaſio edidicit, vt nullam ſine cauda patiatur eclypſim, dum ſuis in Heſperijs, vel Eliſijs inſomnis cuſtos inuigilat: niſi quod illas potiùs vmbras meo ab atramento metuere poterit, quod dùm illuſtro tot ſidera, obſcuro, & vt Apelles de inerti Pictore dixerat: *Pro Sole Vmbram pingo*. Plin. ib.

Reddo tamen pro meo captu hoc ipſum Societati, Collegioque quod debeo, vnde prima rudimenta, atque elementa adhuc ſecularis hauſi, vt ſcirem ſaltem loqui, ni

ſcri-

Digitized by Google

ſcribere, linguam ſoluere, nè balbutirem,
& vt minùs rudis, quàm benè cultus Alum-
nus, hæc ipſa Elogia parietibus ſuffixa tranſcri-
berem, mea nimirum inani, ac vacua Echo tot
voces redditurus, venia ſaltem non indignus,
ſi inter Minimos minimus, & è FRANCI-
SCI PAVLANI familia pauperrimus famu-
Marc. 13 43. lus hæc numiſmata ære, auroque digniſſi-
ma, cum vetula illa in Templi Gazophila-
cium immittere, atque remittere audeo.
Quæ cùm tot nominibus, atque hominibus
exſoluere, ac rependere nequeam, multò
minùs Tibi (Reuerendiſſime Pater) cuius hu-
manitati, ac munificentiæ cùm plurima de-
beam, hoc vnum negas, ne de Te quoque
ſingulari modeſtia impeditus dicere poſſim:
Claud. de laud. Stilic. l. 1. in prin. in Habr & Hieronym. *& quæ diuiſa, beatos efficiunt, collecta tenes*: Nè
igitur virtuti ſim non obuius, atque inno-
xius tuæ, huic tot inter Elogia nonniſi hym-
ni ſilentium lito. Accidit enim tuis doctiſ-
ſimis in Comitijs, vt omnes in tui electione
forent vnanimes, & vni ſono tot vocum in
concentu nemo; vel leuiter, vel breuitèr
diſcordaret.

Præluſeras nempè Tu tot annis, tot in-
muneribus, tuiſque moribus huic Choro
ſemper concors, quippe qui nobiliſſima apud
Bel-

Digitized by Google

Belgas editus Gente, auitas, ac fumoſas imagines domeſtico in atrio, ac limine poſthabens præclariſſima ſtemmata aſpernatus, neque vno dignatus intuitu, vix eam emitteres vocem: *& quæ non fecimus ipſi vix ea noſtra voco*; quamuis Fratres, Nepoteſque tui tot Oppidorum, atque Arcium in faſtigio excelſi ſupercilium meritò attollere, atque turrita quoque culmina ad Cælos, quos ſuffulciunt, erigere poſſint; nec eorum vetus dominium, quod de Germanis tuis Tacitus dixerat, ſeculum vocetur. At Tu mutuò fœdere, àc fœnore aliam in domum, nempè Dei adoptatus, ac pari virtutum, Literarumque commercio hoc vnum decus, ſeù patrimonium Parentibus, Fratribuſque inter faſces, ac titulos debuiſti, vt ab illis haberes, quod contemneres, ac Hieronymum Bethlenitico in Antro audires rugientem: *Per calcatum perge Patrem, per calcatam perge Matrem ad Religionem aduola*: abiectaſque ad Apoſtolicos pedes diuitias oſtenderes eſſe calcandas. Et quidem pennas potiùs, quàm paſſus ſoluere viſus es, cùm poſt emenſum omnium Studiorum curriculum, ſcientiarum omnium priùs penè Magiſter, quàm Diſcipulus euaſiſti, tuoque in Belgio vbique non tam Leonis, quàm

Ouid. Met. 13.

Epiſt. ad Heliod.

*** Her-

Judit. 14. 8. Herculis veſtigia reliquiſti; idem etiam Sampſon bellator, ac ſapiens, qui ab eo fauos erueres, nec minore aculeo problemata cuderes. Quia verò Leonis quoque eſt ſemimortuos filios ad vitam rugitibus excitare, hoc etiam Tibi non defuit, qui illos varijs domi perfunctus muneribus, & exemplis reformares, & Vrſæ inſtar, non ſolum lingua, ſed vita etiam erudires.

Sed quia Martis Campus Belgium erat, vt in Capitolium aſcenderes, in Romanum accitus, in hoc abundè habuiſti, quod opulentius redderes, cùm Germaniæ tuæ priùs à Secretis, futurus oraculum, mox Aſſiſtens viſus es verè ſtrenuus, atque omnium Amor Titus Germanicus. Satis quidem erat vnius OLIVÆ in vrna ſuffragium, vt Tibi quoque omnia in circuitu nouella, ac vetuſta germi-

Pſ.127. 4. na dicerent: *Impera nobis*: ac toto ab Orbe

Iudic. 9. 31. pluſquàm octo Animæ in Arca iam clauſæ

1 Petr. 3 20. ſuis cum folijs prodeuntes accinerent: *Vno*

Virg. æn. 6. *auulſo non deficit Alter aureus*, nimirum Ramus, ac ſurculus. Sed hoc ipſum, quod ad vrnam, atque arcam deſcenſum eſt, idem fuit ac OLIVÆ iudicio ſe ſubſcribere, eidem ſpiritui, quem ille iam exhalauerat ſuis tot linguis, vno ſed ore vnanimiter ſuffragari: ac tot

lin-

linguis nec diuiſis, nec bipartitis tuum in nomen, tuumque in caput coniurare, ac cæleſtibus IGNATII ignibus inſidere. Adderem etiam, hoc è ligno egerminaſſe, quod Societati pro Præſidio, ac Præſide foret, cuiuſque in ſtipite inſculpi poſſit: *Non mentietur opus Oliuæ.* Habac. 3.17.

Quæ cùm ita ſint, tua hæc folia Tibi pro trophæo ſerta, atque elogia triumphalia iam debita, ac merita grato animo amplectere. Quod ſi tuis in Comitijs omnium Sociorum vna vox, vnaque lingua fuit, niſi quod tua ſolùm ab alijs chordis, & cordibus diſcors, Te digniſſimum prædicaret, cùm obmuteſceret illius vices ſupplens, quas geſſeras, nempè IOANNIS PAVLI OLIVÆ, qui non ſatis illo igne contentus, quem in Vrbem, atque Orbem ſparſerat ardens, ac lucens, vel cùm Pauli Gladium vibrauit, quod eſt Verbum Dei, vel cùm tot inter volumina cæleſtis ſpiritus flammas ab vmbris ad lucem prompſit, vel cum domi, foriſque bipartitis quaſi linguis, præceptis, atque exemplo fecit, & docuit. Qui Pontificio in Sacello Apoſtolico velut in Cænaculo IGNATII ſui ignem renouare, ac reddere viſus eſt, illa ſcilicet nedum ſemina, incendia excitans, Ephes. 6.17. Luc. 12. 48.

quæ Chriſtus olim in terram, vt accenderetur immiſit: ac ipſe, vt in folijs etiam exardeſcerent, æternis in paginis edidit. Et quia patria illi cum COLVMBO eadem, eundem ſequi viſus eſt maior, cùm in vtriuſque Orbis lucem, ac vitam portauit Chriſtum in humeris, ignem in Olea. Bifrons, ſeu biceps, vt ipſe Ianus prudentiæ ſymbolus, qui præterita, venturaque tempora gemino intuitu præuidens, prouidenſque ità belli, paciſque ianuas clauſit, ac reſerauit, vt ſolam diſcordiam excluſerit, concordiam fouerit. Quare, nomen quoque eius Societati fauſtum ſonabit, ac felix quæ PAVLVM olim TERTIVM tertio quaſi è Cælo alterum ſortita Parentem, ſub eius moderamine tot inter annorum, ac temporum vices tutiſſima requieuit: præmiſſo Ioannis quoq; nomine, vt vox Euangelici Præconis Ioannis diuino cum organo conſonaret. Cui Tu demortuo Vicarius nulli dubium reliqueras, illius è cineribus Phœnicem fore vnicum, ac poſthumum, quem idem calamo ſuo iam conceperat, ac pepererat immortalem: totaque IGNATII ſoboles in Te vnum reſpiciens, dicere non poterat, quod iam cecinerat Claudianus: *Parturiente rogo curis Natura laborat.*

Luc. 12. 19. Matt. 17. 2. Chriſoſt. orat. in Princ. Apoſt.

De Phœnic. 3. 13.

Acci-

Accipe igitur, Reuerendiſſime Pater, Carmen ſeculare ſeculari iam diù ab Adoleſcente concinnatum, tuum tot titulis, totque nominibus debitum; admitte tot gloriarum, in ærario Minimi, ac pauperrimi obolum in vectigal, ac ſtipem; ſitque hoc vnum tot inter miracula mirum, quod Religioſus Cliens Religioſiſſimo Patrono in plurimorum augurium ſeculare ſtipendium ſoluat. Et quia Sanctiſſimi mei Patriarchæ in Stemmate nonniſi Caritas mihi prò Sole eſt, hanc tu exerce cum filio patientem, ſi nec loqui, nec ſilere ſcio. Vale. Romæ, ex 1. Cor. 13. 4.
Collegio Sancti Franciſci de Paula ad Montes, die Sanctis Martyribus Coſmæ, & Damiano ſacra, ac Societati tuæ natalitia, 27. Septembris 1683.

AMI-

AMICO LECTORI.

P*Aucis te, quiſquis es, Peregrinus, an Ciuis, hoc in veſtibulo ſiſto, ne vagus hinc exorbites, filum tibi porrigo, & indicem, & antequam totum ſubeas Orbem, hunc Micocroſmum potiùs prima in pagina oſtendo. Non exiguum enim laboris leuamen, ac lucrum eſt, arithmetico quaſi calculo totius operis præ manibus ſine numero præferre ſummam. Præſtitere hoc ipſum Scriptores illi veteres, qui totam Romani Imperij Molem, vel in Breuiarium, vel in Itinerarium redegere; quorum ego ſectatus veſtigia antequam Romani Collegij in Atrio tot Heroum imagines firmo pede, oculoque percurram, omnes amico ſub aſpectu, atque intuitu tibi curſim, ac veluti in fuga præmitto. Et quia primum naſcentis, atque adoleſcentis Societatis Ieſu ſeculum inibi expoſitum habes; hoc in limine eiuſdem nonniſi faſciculum præſto tibi, ac libenter exhibeo. Calamum ſtringo, ſeu potiùs ſtylum, quo paucis in lineis vix puncta colligo; atque vtinam poſſem cereis in tabulis, apis inſtar, floſculos ad coronam intexere; ſecutus Romæ eiuſdem exemplum, quæ ſuis in feſtis ſolemnibus aduenientibus hoſpitibus florum faſciculum conſueuit offerre. Habe tu igitur, & tuum ſic.*

Societas Ieſu, vel hoc ipſo nomine pro elogio auguſta, omnium tum virtutum, tum Scientiarum non minùs Magiſterium, quàm Compendium, quæ Deum Optim. Maximum Authorem, atque IGNATIVM LOYOLAM

Equi-

Amico Lectori.

Equitem inter Hiſpanos Nobilem Ducem habuit; adeò ſe latè ipſo quaſi in exordio effudit, vt vſque ad ipſum ſecularem Annum quadrageſimum ad XXXVI. Prouincias, Viceprouincias duas, Domos Profeſſas XXVI. Collegia CCCCXXXXIIII, Domos Probationis ſeparatas XXXXIIII; Reſidentias CCXXVIII. Seminaria LVI. breui tot Palmites, ac Ramos extenderit; vt non minore fecunditate ſuorum Religioſorum Germina, ac Capita ad 15544. in iiſdem ſe ediderit: atque vtrumque Orbem Academiis, Scholis, Cathedris, Suggeſtibus, Bibliothecis, pietate, eruditione, Martyriis, miraculiſque repleuerit. In his pro Catholicæ fidei defenſione mortui CCLXXXIII. ſiluam fecere palmarum; Doctores M.D.XXX. ni terruerunt, exercuerunt Lucubrationibus ſuis poſterorum ingenia; conſperſa canitie capita non ſemel, & iterum, ſed pluries viſa Sacra Purpura erubeſcere; Mitrata atque Inſulata conſpicienda ſæpiſſimè; niſi arctiora vincula conſtringerent. Porrò adeò eius Propagines Domini Vineam ſudoribus, lacrymis, ac ſanguine irrigarunt, vt breui illa in lacus, ac vindemias redundauerit: eiuſdemque Domini Horrea diſruptis penè compagibus inexplebili manipulorum aceruo in Aeternitatis annonam vno ſeculo impleuerint; cùm vnus FRANCISCVS XAVERIVS Indiarum Apoſtolus vicies Centenis Animarum millibus Cælum aperuerit, quo vti electorum frumenta non ſine fœnore meſſem inferrent. Cùm igitur eadem Societas annum Centeſimum ſua à fundatione recèderet, quem in eodem LOYOLAE nomine duplici litera L. amplexum, bis nempè quinquageſimo, quod Iubilei eſt, numero, ac iubilo repetito cognoſcebat: (quod & arcano non caret) cenſuit eidem IESV, quem nomine ab incunabulis præferebat, debitas gratias referendas, non quidem vt olim Romæ ſecularibus ludis,

Ex Catalogo Romæ impreſſo

Ex Philippo Alegambe Part. III in Conſt licet 1349. & ex n. 10. § 6. Côſt Societ.

ac

at ſpectaculis; ſed ijs potiùs, quæ unicè in theatro animos, oculoſque ad Virtutes, ac Cælos allicerent. Quare Romæ itidem, hoc eſt, ipſo in Orbis Capite, IV. nonas Auguſti, altero ab obitu S. Fundatoris IGNATII die Anni MDCXXXX. hoc verè Auguſtum omnigenis Nationibus luculentèr, ac ſuſpiciendum exhibuit mirabiliter inter ſeſe Orbibus complicantibus in ipſis Vrbis Societatiſque Compendijs. Nec defuit, qui clauum figeret VRBANVS VIII. de cuius maieſtate, ac mente dici non minùs poſſes: Octaua Perfectio eſt, *& tunc maximè, cùm eandem pompam ſua dignans, cumulanſque præſentia Romæ dedit, vt caneret:* Auget præſentia famam.

S.Ambr. lib.5. in cap.6. Late poſt Ioit.

Illum igitur Apparatum, ne veritati fidem demerem, meo ideſt rudi, ac ſimplici ſtylo tranſcribere volui, duplici tamen ſtimulo impulſus, & quod illo eodem anno in eodem Romano Gymnaſio optimo ſub Præceptore Ioanne Baptiſta Andriano Rethoricæ ſtudijs operam dabam, & quod debui Amicorum conſilio obtemperare; qui mihi exiguum laborem, ac leue onus tot titulis debitum imperarunt. Scio tamen hoc vnum deeſſe, vt tot magnorum Virorum, atque Vrbium maximarum; quorum Carmina, atque elogia intexo, imagines ære, auroque conſpicuas deſideres, in quibus paſſim oculos ſiſteres, ac ſenſim ingenium detineres; ſed vna mihi iurata paupertas opem denegat, nè tantum in opus adſpirem, atque vnica Minimos inter Humilitas, nè tantum in culmen aſſurgam. Satis tamen pro viribus à me factum ratus, ſi ſaltem atramenti inter vmbras tot lumina edidero, alijs, ſeu poſteris, ſeu poſthumis curam hanc, gloriamque relinquens, qui ære pluſquàm Corinthio hanc ſtipem conferant, ac pro me as debitum ſoluant. Tu interea, quæ ego oſtiatim emendicaui, tuas inter diuitias nume-

numera & me illorum in cenſu, qui cùm nihil habeant, omnia poſſident. Huc *cùm deueniſſem ſiue abiturus, ſiue te dimiſſurus adhuc mihi non leuis ſcrupulus ſeſe obtulit, qui mihi manus inīecit, vt te ſiſterem, ne cùm tot inſignes, atque egregios Viros oſtendiſſem, crederes ſatis ſuperque factum, ad huius Maieſtatis ac pompæ imaginem ſuſpiciendam. Cælum iſtud potiùs crede, in quo vbi in ſidera variæ magnitudinis intenderis oculos, alia, & fortaſſe non minora ſupereſſe perſpicies, quæ lacteæ inſtar tibi illud obÿcient:* Numera ſtellas ſi potes. *Omitto hic, ac ſilentio inuoluo tot IGNATII filios, qui hoc eodem in Gymnaſio alios ſuis virtutibus, ac ſcientÿs imbuerunt, ac quibus ſingulis illud vnico pro elogio ſit innumeros Alumnos, ac penè infinitam ſobolem, ac ſibi ſimilem peperiſſe. Sed quoniam coniurata, ac congenita Societati modeſtia non minùs Diſcipulis, quàm Præceptoribus ipſo in atramento ruborem offundit: illud ſaltem te latere, ſeu præterire nolo, quot illi fuerunt, qui his è Lycæis optimis moribus, ac diſciplinis inſtructi, tanquam apum agmina prodiere: & vt ab equo Troiano non vnam hanc Vrbem, ſed omnes, totumque Orbem ſaluberrimis incendÿs illuſtrarunt, ac ſi cum Vate prædicarent:* Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros. *Quotus quiſque enim ille eſt, qui hinc inoccíduam non hauſerit lucem, qui alÿs Religioſis Familÿs præclarum nomen non dederint, quique vna Europa non contenti, reliquas Mundi partes ſua fama, & gloria non impleuerint. Et illud quoque pro miraculo humano generi erit, quod tot arenarum cumuli, qui præ multitudine dinumerari non poterunt, ſterilitate depoſita in immenſam fæcunditatem, vel militaribus in Campis, vel Laureatis in Seminarÿs quotidie excreſcunt: nec litus iam, aut fretum inueniatur, in quo aliquando illud præſcribi*

2. Cor 6. 10.

Gen. c. 15.

Virg. Georg. 1

Geneſ. c. 23. 12.

✠✠✠✠ *queat:*

Iob.c.38 11. *queat :* Hucuſque venies , & non procedes ampliùs . *Quam hæc ab aſſentatione aliena , & veritati conſona ſint , iudicet qui luce non careat , inuidiaque non cacutiat . Hoc te ideo admonitum volo , ne tot inter Purpuras aliena lumina præ verecundia condita autumes , atque Auroræ Roſas , quæ nocturna ſidera expungant . Vnum pro coronide addam , quod variæ characteres formæ , quos offendes tibi potiùs commodum iter expedient, vt eo diſcrimine diſtinguas , quæ arboris ſuæ trunco congenita , quæque inſita ſunt . Ex his , quæ hactenus de Anniuerſario Societatis ſeculo diximus , facile tibi erit colligere , quod de ſeipſa diuina Sapientia ſcripſerat :* Ludens in orbe terrarum . *Et fortaſſe tu ipſe ſpectator tot labyrinthæis his circulis defatigatus filum , atque exitum exoptabis , vt poſt huius ædificij operoſum Hexameron , requieſcere poſſis . Ita quidem tuo meoque ex voto ; niſi alter mihi Orbis occurreret , quem effugere , ſine nota nullatenus poſſum : & exclamare potiùs cogor :*

Ezech.1. 16. & Rota in medio Rotæ . *Dum enim tot poſt lineas punctum , ac finem cogito , en tibi alter Anniuerſarius Annus obijcitur , & dum opuſculo huic ſupremam manum imponere ſtudeo , indiculus , niſi mauis , articulus eſt addendus . Neſcio enim quo pacto acciderit , vt procraſtinato hunc in annum vnius ſeculi ad lucem partu , in alium nolens , volenſque inciderit calamus , in quo GREGORIVS DECIMVSTERTIVS iactis Collegij ipſius Fundamentis alteri Theatrum præparauit , quod & Societatis , & ſui Nominis Aeternitati conſecraret . Ne pluribus te detineam ; ſumus in octogeſimo tertio , natalitio nimirum , atque anniuerſario huic , in quo ille coactis tot Nationum filijs , atque Alumnis , verè Orbem Vniuerſum circumplecti , & claudere viſus eſt ; fuitque hoc tanti Conditoris Miraculum , vt Gentilitius*

litius

Digitized by Google

Lectori.

litius Draco, nullius vt Eclypſis prognoſticon faceret dimidius, nonniſi caput ad excubias habeat. At quoniam huius quoque in anni aditu Ianus præſto eſt, ſperandum nobis eſt, quod volumus, vt clauſus ad Bellum, nonniſi ad Pacem, literarum altricem, ac baiulam pateat. Hoc vnum mihi ſaltem optandum foret, vt in huius quoque Amphiteatri conſecratione, quod olim in ſuo Titus poſuit centenarius dierum numerus inter diuitiarum munera, atque opum copiam abſumeretur. Quod quia pauperrimo, ac minimo denegatur, ſtylum conuertam, & quod Auguſtus facere non erubuit, huius quoque in anni limine Xenia, ac ſportulas petam. Hoc idem aſſequi me putauero, ſi tu Hoſpes, ac Lector mei memor oſtiatim emendicanti, obolum, ac ſtipem erogaueris: preces nimirum, atque hoſtias apud Altiſſimum, eoque in Ærario mercedem, in quo nemini ſuo ſine fænore ſoluitur, redditurque. Vale.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
Pag: 12.	lin. 18.	Mundi	Mundo
20.	23.	Aſtrolobio	Aſtrolabio
54.	24.	çquè	æquè
72.	3.	ſolum	ſolium
Ibid.	19.	pluuia	pluuio
74.	11.	fabricans	fabricas
Ibid.	18.	armamanus	arma manu
79.	3.	Mundus vnum	Mundus vnus
84.	14.	*Goliatenſis*	*Goliat Enſis*
90.	19.	Elegia	Ilegia
105	11.	Aſtreæ	Aſtrææ
108	17.	Nazarea	Nazaræa
131	3.	cui	ſui
159	2.	GREIFENCLAVRI	GREIFENCLAVV.

REV.PATRI FRANCISCO DE LONGOBARDIS
Ordinis Minimorum S.Franciſci de Paula

D.Franciſcus Villarealis Presbyter
In celeberrimo Romano Archigymnaſio
Canonum primæ Sedis Anteceſſor.
Elogium dicat.

Franciſce, ſeculum Societatis IESV percurris,
Scripturus æternitati.
Anni, qui tuo calamo ſeruiunt,
Tibi immortalem confingunt coronam.
Quis tibi comparandus,
Qui ſecula Saturni
Aurea in noſtra tempora reduxiſti?
Societas Ieſu multum Tibi debet, Tuque debes Societati;
Eius cauſa Tibi lucem comparas ex tot Heroum Solibus:
Callimachus de cauſis Faſtorum conſcripſit,
Et eruit ex priſcis Annalibus temporum pondera,& virtutes.
Tu Callimacho ſubis,& Faſtos colligis,
Vbi non ſolum res Societatis, & geſta
Sed tuas etiam explicas virtutes
Tuis præclaris laboribus cedunt Faſti Conſulares,
Et conſulis memoriæ hominum.
Ante Appij Cæci tempora, Faſtos Romani non habebant:
En Flauius ex Patroni Scriniis
Faſtos Populo publicè legendos propoſuit:
Tuo è Marte prodeunt dies, prodeunt Soles,
Tamquam ab Oceano Scientiarum
Si Faſti dicebantur, quia fati licebat Prætoribus,
Quid ages fama? Societatis præclara geſta,
Et Fraucifci eruditos labores
Circumferas per ora Hominum,
Verecunda Societatis Religio ſolens more ſuo
Sua facta depreſſerat:
Tu ſedulò promulgas Populis,
Et fucum facis humilitati,
Et fallis ſuperbiam.
Proprio in ore virtus tabeſcit,
Ab alieno calamo pretium trahit, & ſalutem.

Secu-

Digitized by Google

Secularem librum edes,
Et fama tua centum, & mille annorum ſuperabit,
Et tuo nomini tamquam Phæniſſæ volucri ſuis radijs
Menſura temporum Sol incubabit .
Laudare laudatam Religionem, non arguit degenerem calamum ;
Magnum opus aggrederis :
Suſtinere calamo Seculum, tamquam Cælum ſyderibus aptum,
Herculis eſt .
Sacra recognoſcat Poſteritas
Priſcis eruta ab annis ;
Et cum atauis Religionis Heroibus Te ſæpè legent Patrem.
Perge Eudoxi æmulus , ſequere curſus Solis ;
Dum ſcribis Faſtos procul à faſtu .

REV. PATRI FRANCISCO DE LONGOBARDIS
Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula,
De Opere, quod Typis mandat.
Epigramma .

LOYOLÆ præclara quidem fecere Sodales ;
Sunt tamen ingenio lucidiora tuo .
Hectora quis noſſet ? tacitus ſi fortè fuiſſet ;
Qui Teucrum cecinit fortia facta ducum .
Laudibus ornandi hi ſunt , qui geſſere ; fatebor .
Diuiſum hoc meritum noſter at auctor habet .

Aliud.

Quod ſeclo exactum eſt, libro hic collegit in vno ;
Si non vidiſti geſta , legenda tenes .
Quæ Heroës tanti patrarunt grandia, promit :
Quidque ſuum valeat, detegit , ingenium .
Eſt geſſiſſe decus, decus eſt ſcripſiſſe : labores
Ne impenſos longo tempore Tempus edat .

Aliud.

Liuius effudit , perſtrinxit Florus, vterque eſt
Romana medius Criſpus in hiſtoria .
Tam bellè hæc ſcripſit Franciſcus, dicere vt auſim :
Scriptorum facilè eſt maximus ex MINIMIS.

D. Franciſcus Antonius Guglielmi, V.I.D.

REV. PATRI FRANCISCO A LONGOBARDIS
Ordinis Minimorum,
Elogium.

Quiſquis es domeſticus, aut extraneus,
Auditor, ſiuè Lector,
Qui Latij ad limina curioſus conſiſtens
Romam
(Alioquin ex Bellona Mineruam)
Lingua ſua eloquentem, ſcribentemque calamo ſuo
Audire cupis, & intelligere.
Franciſcum à Longobardis
Nomine Minimum, Maximum omine
Mecum audi, ac legito.
En ipſe tuæ proſpiciens cupidini, ac meæ;
Hinc Liuij, inde Tullij Arpinatis
Laudabilis Æmulator,
Romanorum proindè dicendi, ſcribendique ratione
præſtans;
Cum ſeculum primum Societatis IESV
deuolutum Æternitati,
Primiſque ab illius Temporis Oratoribus celebratum
his in Folijs,
Quibus alas ſuas texere nititur Fama ad volandum;
Linguaſque ſibi ad loquendum adiungere,
eloquenti calamo
conſcribit,
Fatim id præſtat, dum reſtituit perennitati,
à qua excideret obliuione.
Nam tantum perdoctè agens,
Homericis veluti vinculis
Mira Geſtorum, quæ in Terris cæleſti bonitate
IESVS
In ſuis, & IGNATII Socijs operatus eſt;
Ità digeſtè ligat, ac Cælo nectit,
Vt omnium ora ſuipſius, & illorum, quos laudat
Soluat in encomia.
Verè quod dicere poſſis, imò debeas;
Seculum iſtud ad eruditionem Gentium
Promeritam Auctoris laudem,

Atque

Digitized by Google

Atque Maiorem Dei gloriam;
Quam
Parens IGNATIVS, eiuſque Filij,
in ore æquè, ac in corde geſtantes,
dictis, & factis
Ferè cuiuſque Nationis, & Sectæ populis
meritò manifeſtant.
Et ne quid operi perfecto æquè, ac laudabiliſſimo
Zoili manu addere valeas, vel demere,
Thaumantis dextera illud geſtare, Mercurijque paginas
deuoluere Caduceo:
Quo tunc priùs admiratione rapieris ad ſtuporem,
quemadmodum octo diebus,
In quibus Romanum Collegium, tum exteros, tum incolas
Vrbis,
Literatos quidem omnes, & eminenti fulgentes dignitate
plurimos à virtute indiuiſa,
rapere potuit.
Poſteàque pacem inhians; atque ſalutem
integerrimo Scriptori,
Talitèr modò, qualitèr olim in ſuo Zodiaco
confiteri conaberis,
Eum plùs certè non vltra, eſt egiſſe ſatis.

Poſuit Fr. Iſidorus à Montealto Sacræ Theologiæ Lector, nec non V. Generalis Collega.

SA

SACRÆ IESV SOCIETATI,
Quod ſui ſeculi celebritatem
ADM. REV. P. FRANCISCO DE LONGOBARDIS
Æternitati conſignandam reliquerit,
Eidemque Auctori,
Gratulatio.

Tibi gratulor, IESV Societas;
Quod tam ſcitè
Celſitudinem tuam aſſociatam humilitati volueris,
Vt cum pietate, atque doctrina ſis magna,
Minima tamen, vt videaris,
Facere licèt docta, & docere,
Tua facta,
Doctrinam tuam,
Vel ipſis Minimis dicenda relinquas;
Ex ore ſcilicet; vt infantium
Tibi laudes perficiantur.
Tuarum cecinisti præconia virtutum;
Secularem poſuiſti triumphum,
Centenaria in ætate
Millenas oſtendiſti palmas;
Verum,
Ni Minimus Franciſcus
Tuorum euaderet præconiorum præco,
Poſitam exponeret panegyrim,
Oſtenſaque olim nunc oſtentaret trophæa;
Diurna vix fieret IGNATII centena laus,
Momentoque decreſceret,
Quæ tibi, & Vniuerſo,
Creuit per ſeculum gloriæ celſitudo.
Ignem accendit IGNATIVS,
Dum te fundauit,
Ex quo,
Micantes virtutum flammæ
Nullo extinguendæ æuo
Vrbi, & Orbi illuxere,
Verùm,
Excitatas ab Hiſpano pyras,

Ni

Ni Longobardus ſuſcitaret,
Tuæ humilitatis ſub cinere
Perpetuò latuiſſent ignes.
Ignitos nunc igitur IGNATII ignes,
Lucidiores Franciſci flammas,
Clariora Aloyſij Stanislai,
Aliorumque Tuorum Heroum lumina
Franciſcus Minimus.
Sui luminibus ingenij,
Suæ mentis claritate,
Suæ doctrinæ luce,
Publicæ reddit luci.
Proh quam benè!
Vt Religio in humilitate radicata,
Nunc ad gloriæ apicem maximum
Exaltetur à Minimo;
Sic ſe ſequentes edocuit,
Incarnata Sapientia
Qui ſe humiliat exaltabitur.
Gratulor ergo tibi laudatæ,
Gratulor, & Franciſco laudatori;
Tibi,
Quod ex Minimo maxima tibi laus,
Franciſco,
Quod Te ſacram Societatem
Dum celebrat,
Maximus ipſe euadet, & celebris.
Mutuaque gratitudine,
Tibi Franciſcus debebit ſui nominis famam,
Tuque Franciſco
Tui ſeculi æternitatem.

D.Matthaus Durandus Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis Procurator Generalis.

FR.

Digitized by Google

FR. BERNARDINVS A FVSCALDO
Ordinis Minimorum Lector Iubilatus, pro Natione Italica Collega Generalis, nec non in Italiæ Prouincijs Generalis Vicarius Ordinarius.

VT Opus, quod inſcribitur, *Deſcriptio Apparatus, &c.* à Reuerendo Patre Franciſco de Longobardis Ordinis Noſtri Sacræ Theologiæ Profeſſore, induſtriosè non minùs, quàm concinnè celebratum, in publicam lucem prodeat, præſentium vigore facultatem concedimus, præuio tamen RR. PP. Sacræ Theologiæ Lectorum Clementis Riccij, & Iſidori à Montealto Collegæ noſtri examine, & aliorum, ad quos ſpectat permiſſione. Datum Romæ in noſtro S. Franciſci de Paula Collegio ad Montes hac die 12. Auguſti 1683.

Fr. Bernardinus à Fuſcaldo Vicarius Generalis.

Ex

Digitized by Google

EX commiſſione R.A.P. Bernardini à Fuſcaldo Ordinis Noſtri Lectoris Iubilati, & Collegæ Generalis, nec non in Prouincijs Italicis Vicarj paritèr Generalis, nos infraſcripti vidimus, attentèque perlegimus Opus à Reu. Patre Franciſco de Longobardis eiuſdem Inſtituti Sacræ Theologiæ Profeſſore accuratè diſpoſitum, cuius titulus, *Deſcriptio Apparatus*, *&c.* & nihil in eo cenſura expurgandum, ſed omnia optimè digeſta, & ingenioſè ordinata comperimus; quare vt Typis demandetur digniſſimum exiſtimamus. In fidem, &c. Datum Romæ die 15. Auguſti 1683.

Fr. Clemens Riccius in Conuentu S. Andreæ de Fractis Sacræ Theologiæ Lector.

Fr. Iſidorus à Montealto Collega, & Collegij S.P. Franciſci de Paula Sacræ Theologiæ Lector.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Sacri Palatij Apoſt. Mag.

I. de Ang. Ep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Antoninus Alphanius Magiſter, ac Reuerendiſs. P. Fr. Dominici Mariæ Puteobonelli Sacr. Apoſt. Pal. Socius Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

DESCRIPTIO
APPARATVS,
QVO IN FESTO
SANCTI IGNATII
Societatis IESV Fundatoris
ANNVM MDCXXXX.
EIVSDEM SOCIETATIS
CENTESIMVM
CELEBRAVIT COLLEGIVM ROMANVM.

NE tibi Viator, ac Lector, poſt acceptas in limine claues, dux, ac filum deſit, en totam opem, quam in hoc opere, pede, & manu porrigere potero; prabeo.

In primo aditu, veſtibuloque Romani Collegij grandior ille lapis, qui in interiori principis Ianuæ ſupercilio exornando ſtrias, & ſulcos in concham explicat, malleato argento obtectus extremo ambitu coronabat inſertam Imaginem S. IGNATII,

 cui

cui, vt Vniuerſæ Familiæ Fundatori Apparatum omnem Patres conſecrauere, & Parenti optimo nobiliorem Sobolem, quæ per Centum Annos in Romanis Scholis adoleuit, ſiſti voluerunt: quam illi ſuam mentem aperuere, exarato circum ingentibus ductibus, hoc Sapientis effato.

LAVDENT EVM IN PORTIS OPERA EIVS.

At eam intereapedinem, quam hærentes parietibus pilæ, atque ab iiſdem extantes deſcribunt ad vtrumque latus, æquabant Tabulæ geminæ prorſus eximiæ, palmos vndeuiginti in altum extenſæ, aureo circum limbo veſtitæ. Harum altera Hominem referebat tumenti, repandoque labro, recedentibus oculis, & in orbem coactis, guttatis inauribus, & plumatili Erodij cincinno, quem ſingularis gemma puluinato galero inſtar clauiculi capitati affixum retinebat, inſignem. Eunuchus erat Candacis Aethiopum Reginæ: ſedebat in eodem Curru, hærebatque lateri Philippus, & homini iam ſaniora meditanti ſuboſcurum locum explanabat Iſaiæ Prophetæ, cuius ille lectione viæ tædium, ac agitationem vehiculi leuabat. Inſertæ margini hæ voces.

QVOMODO POSSVM, SI NON ALIQVIS OSTENDERIT MIHI.

Ad Rerum, & Librorum intelligentiam aſpiranti, opus eſſe Magiſtro commonebant.

Occupabant ſumma pilarum capita Picturæ minores, opportuna loco, & Apparatui Simbola, cum ſua epigra-

Digitized by Google

epigraphe præferentes: nempe Duæ Manus, quarum altera apertum Librum, Calamum, altera in ſcribentis modum retinebant.

Epigramma.

Et ferrum, & ſæui cuncta inſtrumenta furoris,
Cede alijs, quiſquis limina noſtra teris:
Hæ tibi erunt artes Libros euoluere, Libros
Scribere; quod facies, lumine, mente, manu.

Duæ ſine Curru Rotæ.

Epigramma.

Nocte, dieque legis, tibi ſed natura negauit
Ingenium; currum non trahit vnus Equus.
Ingenio polles, non ſufficit, adde laborem
Ingenio; Currum non trahit vna Rota.

Cedri creſcentes.

Cedri, quas arduas miraris,
In hoc ſolo creuerunt;
Non habent hic locum
Quæ humi ſerpunt:
Creſce, & vmbram fac.
Seminarium eſt Romanum Collegium,
Ex quo transferuntur felicitèr plantæ
In omnes terras.
Sylua eſt; PETRO, & eius Naui,
Dedit Arborem Nauticam nec ſemel.

Digitized by Google

In alteram tranſtulerat Pictor Adoleſcentem forma diuina; profluenti molliter in ceruicem coma, emergentibus vtroque ex humero alis: Raphaël Angelus erat, qui dextra Tobiam regebat, laua viam præmonſtrante. Subſequebatur ille viſu liberali, ſpecie, ac elegantia Duci ſuo prope par, euanti, aut triumphanti quàm viatori ſimilior; pendebat enim è viatorio baculo fluuiatile monſtrum, & velut opimum ſpolium Adoleſcentis humeros grauabat, addita Tabulæ hæc verba:

IVSTVM DEDVXIT PER VIAS RECTAS.

Negabant virtutis viam ineundam ſine fido Comite, aut Duce.

Alia tria pilarum capita hæc Emblemata coronabant: Sex Manus, quæ ſingulæ facem habentes igni in foculo compoſito accendere quærebant.

Epigramma.

Armatas face tende manus, alterq; Prometheus,
Aut Phaëton terras ignibus vre meis.
Orbis ab igne meo caleat, nam maximus Orbis,
Atque Vrbis noſtro Sol quoq; ab igne calet.

Teſtudo velis commiſſa ſupra ſcopulum in mari.

Epigramma.

Feſtinare docent Teſtudo, & Carbaſa lentè;
Quique præit puero proximus ales iter.

Qui

Qui per inane licet portari remige penna
Sublimis poſſit; non tamen ille volat.

Phœnix igni ſuperimpoſitus.

Vnicus Phœnix multorum,
Quorum hìc Imaginem vides,
Imago eſt:
Ille dum moritur, alterum ſe relinquit;
Nè omnis moriatur.
Iſti aut Libros, aut Opera edidere,
Ne omnes morerentur.
Quod mortui, Naturam incuſent,
Quæ mortales genuit:
Quod viuunt, Scholis Romanis debent;
Quæ iter ad immortalitatem docuerunt
Nominis, & animi.

Uniuerſum Veſtibulum adornauerat Cæſar Deſtrees *Abbas Longipontis, & Deodeuilla Christianiſſimi Galliarum Regis tunc apud Pontificem Extraordinarij Oratoris filius, nunc S.R.E. Cardinalis.*

Area ſe primum ingens offert poſita in Quadro, totidem ſcilicet lateribus compacta. His ne ſua etiam in faſtigio Corona deſit, circumquaque Maniana ſuis conſpicua columellis fornicibus incumbentia, toti ædificio vires ipſo onere addunt, ac robur ipſa forma ſufficiunt, quod & ſolidiore fulcro praſtant Structiles columnæ, quibus & pulchrior, & fortior tota moles innititur;

Tri-

Tribus è lateribus ſiuè alis, omnes totius Gymnaſij Stationes, ſeu Claſſes ſeſe explicant, quibus ea pars tantummodò caret, quæ ad meridiem verſa, ingreſſumque reſpiciens in ipſa domeſtica penetralia, & quaſi adita viam pandit. Erant quatuor Ambulacra eorum vultibus, qui in hoc ſæculo Collegij Romani Scholas frequentauerant adornata: appenſo ad oram ſingulorum nobili Elogio. Conueſtiti parietes Imaginibus earum tantum Vrbium (quæ propter ſpatij anguſtias ſedes habere potuerunt) in quibus vbiuis terrarum, omnium quaſi Facultatum Scholæ Societatis Ieſu ædificatæ. ac eleganti commendatione eorum, qui annuis vectigalibus dotarunt. Intercolumnia vndeuiginti occupata, vel Summorum Pontificum, vel Scientiarum principum prægrandibus fuere Simulacris. Qui medius interiacet Arcus, vt liberum pedibus, oculiſque iter proſpectandi præberet, dici inanis, & vacuus poterat: niſi quod è ſublimi ingens Epigraphe, quaſi cælitus delapſa, aligeriſque ſuffulta genijs, decumanis characteribus iacturam illam rependere videbatur. Ea ſiquidem diuite quaſi in aulæo inuoluta, ac pretioſis lineis texta pro Indice totius operis erat, ac quaſi pro Mercurio tot inter pennas, & calamos Viatoribus Prodromus.

QVIS-

QVISQVIS HANC NOVAM THEATRI
FACIEM CONTEMPLARIS,
PAVCIS TE VVLT GREGORIANA PALLAS.
HAEC STANTIA IN PERISTYLIO SIGNA,
ARTES BONAE SVNT HVIVS LOCI INCOLAE.
HIC PVRPVRATORVM
CVM SVMMIS PONTIFICIBVS SENATVS,
HAEC MAGNORVM
ANTISTITVM CORONA,
HIC DELIBATVS FLOS NOBILITATIS,
ET PROMERITA AETERNITATEM NOMINA
EARVMDEM ARTIVM SOBOLES SVNT.
HVNC FRVCTVM CENTESIMVM GREGORIANVS
ROMAE CAMPVS HOC SAECVLO TVLIT.
QVID SI IN ALIIS MVNDI PLAGIS,
SOCIETATIS IESV
ACADEMIAS COLLVSTRARES?
QVALEM MERCVRIALIVM POPVLORVM
CENSVM INIRES?
EN ILLAS, QVASI SPECTATVM
LVDOS QVIRITVM,
ROMAM CONVENERINT, PRAESENTES
HIC VIDES.
TV EX VNIVS ROMANI GYMNASII PROVENTV,
LECTAS VBIQVE TERRARVM FRVGES
ANIMO, COLLIGE:
ET VOS QVI IN HOC THEATRO INGENIORVM,
INTER HAEC INVITAMENTA LAVDVM
EDVCAMINI,
MAIORVM SPECTATE IMAGINES,
TAMQVAM IPSI
THEATRVM ALTERI SAECVLO FVTVRI.

Sta-

Digitized by Google

Statuæ ita è creta figulari erant efficta, atque talari tunica, vel Romana Toga, vel Pallio Philoſophico, vel Trabea ſacra, vel alio indumento pro varietate Perſonarum, aut Facultatum quas referebant, diſſimilitudine veſtitæ, vt ori, manibus, pedibuſque, & ſi quæ præter eas nudæ erant partes, tenue ductilis æris bractea illita, reliquo corporis ornatu varijs ſuccis, & pigmentis infecto, ſolida ex ære ſtatuario, aut etiam Corinthio corpora mentirentur. Singularum altitudo decem & octo pedum; at illarum trium, quæ Summis Pontificibus poſitæ, ſi eos, vt ſedentes, ità erectos in pedes exhibuiſſent, etiam viginti. Baſes aliæ palmos nouem, & ſi oculis credidiſſes marmoreæ, altera fronte breue Pontificum, aut Facultatum, quas portabant Elogium, & eius qui poſuerat nomen; altera Scutariam eiuſdem Teſſeram proponebant. Hoc autem ordine fuere Signa collocata in ea Porticu quam liberam à docentium exedris, & meridianæ regioni aduerſam (vt iam ante monui) principem locum tenebat

VRBANVS VIII. PONTIFEX MAXIMVS.

Specie propè Diuina, certè ſupra mortalem, qualem ſupra homines poſitum, & locum Dei tenentem decet, erigebat, atque extendebat dexteram, ſimilis ſibi cùm ſolemnioribus diebus è Vaticano, aut Quirinali, ſuccollantibus famulis, pronæ in genua multitudini noxa-

noxarum veniam impertiri ſolebat, & auguſto ſalutis noſtræ ſigno luſtratam dimittebat; altera manu geminas claues, Petri ſceptrum regebat.

In Baſi.

VRBANO VIII. P. O. M. PRINCIPI SAPIENTISSIMO.

Ob relicta in his Gymnaſijs adoleſcenti ætate, ingenij, & Virtutis præclariſſima lumina. Ob eumdem locum Pontificia præſentia decoratum. Ob præcellentium Poëmatum Volumen ad prælegendum, & imitandum ſuppeditatum. Ob Societatem Ieſu auctis Beatorum titulis glorioſiorem in Cælo, & in Terra redditam. Ob eamdem Societatem Primo Sæculo felicitèr exeunte, in ſpem Sæculi felicioris ingentibus amoris argumentis erectam.

Collegium Romanum Alumno maximo, Parenti Optimo Statuam poſuit viuenti pignus Immortalitatis.

A dextero Pontificis latere, ac ſi è cælis audiret, vtpotè omnium Scientiarum Regina: Sede à dextris meis: *prima ſeſe obuiam Sacra Scriptura dabat, quæ cùm diuinorum Oraculorum ſit interpres, ac vox vnica: nè aliæ vel exorbitent, vel cæcutiant, veritatis ſolem, ita illis obijcit, vt humanas potius mentes illuminet,*

Digitized by Google

ac ſedentibus in vmbra mortis, lucem vitamque reſtituat.

Nihil habebat non plenum Dignitatis, & Maieſtatis; Reginam, & Corona aurea, & forma digna Imperio abundè teſtabantur; munus ſuum oculis prodebat, quos in grande volumen explicabat, illud læua manus, conuertebat. Contineri in eo Oracula Sacra è Vittis ſeptem pendentibus, tænia impreſſo ſigillo, occluſa facilè coniÿcere potuiſſes.

In Baſi.

SCIENTIAE SACRARVM LITERARVM INTERPRETI.

Quæ volumen explanat, cuius interpretatio à Verbo, Scriptura à Digito Dei eſt, quæ duplici Teſtamento reſignando ſeſe hæredem indicat totius Sapientiæ, & Sanctitatis, quæ magiſtra ſimul & Sacerdos habet pro præceptis myſteria, pro effatis oracula, pro artis Compendio Diuinam immenſitatem.

Poſuit Theodolus Theoduli Comes Cæciliani.

Aſſidebat ponè quaſi pediſſequa, quæ Theologia Scolaſtica dicitur, quæ quia vti ſpeculatrix maieſtatis, nè opprimi poſſit à gloria, ſurſum oculos eleuabat, ac ſi & ipſa diceret: de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum, *eo nimirum à Sole, quem in pectore præferebat. Summi Pontificis hic quoque ſeſe Collateralem,*

&

& aſſiſtricem gerens, cuius ab ore Oracula hauriat, & Regulam verè auream vel in momentis accipiat.

Cui nec mortalis vultus, nec habitus corporis vulgaris; ſed cultu, qui Reginam decet eximia: ita Regium inſigne moderabatur, vt dextera geſtum docentis retineret, leuà Summam Diui Thomæ, tria in volumina diuiſam, portante.

In Baſi.

THEOLOGIAE.

Diſciplinæ auguſtæ, quæ à fide cæca oculatior reddita, Diuinum Solem certiùs aſpicit, quæ hominem de Deo differentem inter homines veluti Deum facit, quæ inter omnes artes maximè Diuinam gratiam inuenit, quæ in bono lumine gloriæ ſuos collocat labores, vt eos quoque beatos efficiat.

Poſuit Fabritius Narus.

Ne quid ſuum extra locum accederet in proximo Arcu lingua Sancta, nimirum Hebraica loquebatur non modò hominis ab incunabulis primigenia, ſed vel Diuini Numinis imperantis, ac ſi vel tunc ea vteretur, quam deinde Infans ſolueret inter vagitus, haberetque homo pro rudimentis, quam illi Deus pro elementis infunderet.

Quam aut Deboram, aut Iuditham, aut aliam è Matronis illorum temporum dixiſſes. Supremi Hebræo-

bræorum Pontificis ornamenta propè omnia induebat: Caput tegebat Pileus in Orbem è biſſo torta contextus. Faſcia circum ſpiris aſſutis voluta, nullo apice ſurgente, nullo turbine; florum tantum calicibus Diadema figurantibus. E' collo ad talos deſcendebat tunica nullis rugis, nullo ſinu, nullis follibus vndans. Hanc tegebat alia hyacinthina, ad genua tantum demiſſa, cui ſuperpoſitum aliud indumentum, nec ambitu ſuo hyacinthinam tunicam contegens, nec ſagulo militari vſque adeò abſimile. Veſtem amplexu gemino ſtringebat Zona textilis redeuntibus in pectus nodis; ad quod pendebant gemmarum duodecim verſus quatuor, duodecim Hebræi Populi Ducum nominibus inſcripti. Dexterà ſceptrum ad tabellam diuinæ linguæ elementis notatam, conuertebat.

In Baſi.

LINGVAE HEBRAEAE.

Cognomento,& re ſanctæ,ſermoni Mundi coæuo, linguæ paucorum verborum, vt decuit eam, qua loqui voluit Vnicum Dei Verbum, quæ vno Diuino Codice Bibliorum conclùſa, innumeras peperit omnium Linguarum Bibliothecas, quæ punctis ingentium myſteriorum capacibus in immenſum extenſa eruditi ſermonis laudem omnem complectitur.

Poſuit Carolus Lomellinus Sem.Rom. Conuictor.

Quia

Digitized by Google

Quia verò Diuini Verbi exemplar, atque Oraculum fuerat facere, & decere, opportuna poſt Scholaſticam Theologiam Moralis vtrumque edocebat: ea enim illa eſt, quæ Ariſtotelica Ethica eloquentior hoſtium ora obmuteſcere facit, & quod fides ſub velo tegit, quaſi ſublato ſipario clariùs ſpectatoribus reddit, relicto ſolis Athenienſibus, alijſque Ethnicis probroſo illo Elogio: Noſſe benè loqui, & malè viuere: *ſolumque Magiſtrum ſequens, dum omnibus tribus his vocibus præit* Ego ſum Via, Veritas, & Vita. *Et hæc auguſtæ dignitatis plena, & omni ornatu regio inſignis, Legis Moſaycæ Tabulas tenebat, oculis in Cælum conuerſis.*

In Baſi.

THEOLOGIAE MORALI.

Cæleſtem Curiam in Terris ſortitæ, quæ leues, ac mortiferas culpas ſecernens, iura ſancit vitæ, ac necis æternæ, quæ Decalogi Tabulas Inferorum fluctibus euadendis offert; quæ cenſurarum notas in paginis lineat, vt ex animis deleat, cuius meritorum, ac laudum certiſſimus eſt Index conſcientia.

Poſuit D. Aloyſius de Requeſens Sem. Rom. Conuictor.

At quia in ipſo Paradiſi medio vitæ quaſi congener ſcientiæ arbor erat, huius quaſi rami erant aliæ naturales Scientiæ, & meritò earum quaſi ſator GRE-

GREGORIVS XIII.P.M. aſſurgebat, ea nimirum è regione, qua contra Eden ideſt Orientem obuerſa ſui quoque Paradiſi locum, ac dominium indicabat, eo tamen prodigio, quod ipſe Gregorij Draco ſuos pluſquam Heſperios Hortos non ſolum tueretur, ſed excoleret. Et ipſe grandæuus Senex pari ſupremo Terrarum Imperio maieſtate, totus ad humanitatem, & munificentiam factus, expanſis brachijs, & manibus, aut ærarium in adoleſcentium educationem, & Romani, aliorumque Collegiorum exædificationem effundere, aut à varijs Nationibus Romam conuolantes non tam ad pedum oſcula admittere, quam in ſinum excipere videbatur.

In Baſi.

GREGORIO XIII. P.O.M. FVNDATORI.

Qui Religionem, & bonas Artes hoc Collegio condito benigniſſimè aluit, ampliſſimè propagauit, qui Iuuenum Seminarijs, & doctrinarum domicilijs Romanam Eccleſiam vbique muniuit, qui Societatem Ieſu Collegijs dilatauit, priuilegijs inſtruxit, patrocinio, & gratia cohoneſtauit, qui eiuſdem Societatis opera plurimùm vſus eſt ad Orientem, & Occidentem Euangelio illuminandum, ad Septentrionem recta fide refouendum.

Poſuit Collegium Germanicum, & Hungaricum Conditori ſuo ac de Vniuerſa præcipuè Germania benemerito.

Ne-

Nemini preindè debuit Metaphyſica propius, quam huic obſecundare. Si enim hæc à materijs, ſenſibuſque ſecreta nonniſi rerum naturas, atque ideas, vt ſunt in ſe, meditatur, & explorat; definiri verè in ea Gregorius poterat, qui ſedens ſolitarius, ac tacens ſeſe leuauit: & quod admirabilius eſt, vt vtrumque Orbem præ oculis haberet, hunc præ pedibus, ac manibus habuit, vel vt accurreret, vel vt ſuccurreret. Et hæc erat ſummæ gracilitatis fœmina, ore quale animus aliò abductus fingebat, meliori manu ſemiſupinum caput excipiebat, lacertoque fulciebat, oculis cælum tuentibus, pede altero Terræ globum premebat, erigens ſeſe, & ad ſublimiora nitens.

In Baſi.

METAPHYSICAE.

In ipſo Corpore ſemper à corpore abſtractæ, quæ aſpectabilem Mundum, ne intueri quidem dignata, ad Deum auolat, quæ ad puras eſſentias contemplandas ſenſuum reſpuit officia, vt benè ſentiat à ſenſibus alienata, quæ ſummum genus Entis altiſſimè adit ſecura ruinæ, quia ſupra naturæ caducæ ſtatum aſſurgit.

Poſuit Romulus Cæſius Sem. Rom. Conuictor.

Quæ à Zenone manus clauſa dicta eſt, Dialectica *propè Metaphyſicam locum obtinuit; licet enim illa*

illa Ariadna dici poſſit, quæ cæteris filum, ac dexteram porrigit, tamen niſi ab ea, quæ ſine materia eſt, materiam mutuetur, nec benè ſuorum ſyllogiſmorum lineas diriget, nec ratiocinandi artem informem in ſuam reſtituet formam. Logica enim ipſa, quæ à loquendo dicta, ſine illius anima, vel quaſi mortua, vel ſolos ſolceciſmos, ac barbariſmos inter ſophiſmata, ac paralogiſmos loqui nouerit. Erat enimuerò cruda virago, ac contumaci fronte negligentiam, & horrorem profeſſa, digitos ſiniſtræ manus principes, pollicem, indicem, medium erigebat, & quem in eos intendebat altero indice, aut ambigua diſtinguebat, aut rem tribuebat in partes ſuas; ſimilis in Lycæo, vel Academia contendenti.

In Baſi.

DIALECTICAE.

Quæ argumentatione animum deuincit, veritatem expedit, quæ implexis rerum naturis peruadendis ſubtilis filum definitionis miniſtrat; quæ ſophiſmatum nodos diuiſione ſoluit, aut ſecat, quæ ſola ſcire ſcit, & docere docet, quæ artem affirmandi, & negandi tradit etiam negando benefica.

Poſuit Conſtantinus Patritius.

Nonniſi huius ſiniſtram occupauit Phiſica, vtpote quæ materiam intuens, ea quaſi generatur, ac faſci-

Digitized by Google

paſcitur, neque tamen hæc ipſa, niſi illam priùs ſenſibus emendicatam, & corrogatam intellectui præbeat cognoſcendam. Adeò enim corporea ſubſtantia, quæ corrumpitur, aggrauat animam, vt huius potentiæ Princeps, & quaſi Regina ſenſuum perinde ſubditorum, ac ſeruorum viribus atque auxilio indigeat. Hæc erat ætate prouectior habitu Corporis opimo, atque adipali, impoſitam dexteræ ſphæram, & incluſum terrarum Orbem otiosè, & conſideratè contemplabatur.

In Baſi.

PHYSICAE.

Cui corporatus Mundus Amphitheatrum eſt, in quo ipſa ſpectatrix eſt, & ſpectaculum, quæ in rerum mobilitate placidè quieſcit, quæ elementorum pugnæ ſecura interuenit, quæ ex materiæ ſeruili appetitione, & formæ honeſta dignitate compoſita naturæ pompam intuetur, ac probat, quæ locum, & tempus expendit ipſa ingentior, & perennior.

Poſuit Aemilius de Cauallerijs.

Moralis Philoſophia, quæ ponè ſequebatur hìc poni iure debuit; nam licet ad ſpeculatricis facultatis pedes vti auſterior recumbat, ac ſi eſſet eius famula, quia tamen morum Reformatrix vti Vrſa ni lingua,

gua, vi igne Prometheus eſt, cæleſtibus diſciplinis propior audire ab illis etiam potuit aſcende ſuperiùs. *Et illa ciuilis, & ad modeſtiam conformata, labantem columnam, per quam anguis multiplici lapſu, & erratico ſerpebat, læua retinebat, pendebantque ex eadem manu libra, & frænum: alterius indice in eiuſmodi omnem ſupellectilem, hoc eſt quatuor principum moralium virtutum inſignia intento.*

In Baſi.

ETHICAE.

Sæculi aurei, vel filiæ, vel parenti, quæ de moribus diſceptat, vt morum concordiam faciat, cuius laus eſt mores hominum multorum non vidiſſe, ſed formaſſe, quæ vitæ finem modumque præſcribens omnia agi iubet ex more virtutum, apud quam verè in more poſita eſt hominis felicitas.

Poſuit D. Ferrantes Gonzaga Acad. Parth.

Neque alia in Regione, & è proſpectu ſuo in centro minùs commodè collimabat, & eminebat alter Pontifex GREGORIVS XV. (nè debitis honoribus in illis Scholis, quas frequentia ſua adoleſcens cohoneſtauerat, careret) quem ſicut eadem Patria Bononia parem Romæ dedit, ità Societati non diſparem fecit amor, & genius, ac tunc maximè cùm Ignatium, & Xauerium Diui Gregorij die inter Sanctos, ac Cælites aſſe-

Digitized by Google

aſſerens, oſtendere voluit; idem nomen filijs, ac Socijs auſpicatiſſimum, à quo ſemper beneficia immortalia acciperent: exoluitque oppignerati patrocinij fidem LVDOVICVS LVDOVISIVS Nepos, cùm Ignatio eidem Templum auguſtiſſimum quaſi pro Capitolio excitauit. Et ipſe omnibus Supremorum Pontificum ornamentis conſpicuus, dextera manu volumen geſtabat Deciſionum Sacræ Rotæ Romanæ, quas magno vtriuſque fori applauſu publicas fecit, & Romanas Scholas iterum intueri, ac in honorem Ignatij, quem ipſe Sanctorum numero adſcripſit, ornatum vniuerſum Gymnaſium demirari videbatur.

In Baſi.

GREGORIO XV. PONT. OPT. MAX.

Quod Societatis Ieſu diſciplinam, & in Nobilium Adoleſcentium conuictu, & in hoc Collegio literis, moribuſque præſtantiſſimis illuſtrauit; quod Ignatium eiuſdem Societatis Fundatorem, & Franciſcum Xauerium Orientis Apoſtolum, cum rogatu Principum Maximorum tum propriæ pietatis inſtinctu inter Sanctos retulit, quod eamdem Societatem alijs beneuolentiæ monumentis ornauit, ornandamque familiæ ſuæ exemplo reliquit.

Seminarium Romanum Conuictori laudatiſſimo, Principi integerrimo æternæ memoriæ argumentum poſuit.

Quia verò Summi Pontificis vtpotè Chriſti Vicarij authoritas, ac dominium extrà anni, ſoliſque viam geminis ſub clauibus Terras, Cælos complectitur, & prætergreſſo Herculeo freto ſuum geminis potiùs in columnis ſecum portat Plus, ac Non vltra; ideo illius ſub ſignis, ac ſtipendijs Aſtronomia, ac Geometria meritò militabant: vinculo nimirum, ac fœdere illo, quod Chriſtus Dominus Petri manibus conſignauit, cùm ait: Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis.

Matth. 16. 19.

Aſtronomia porrò vel ipſa peregrinitate natale ſolum fatebatur. Ea enim indumenta affectauerat, quæ Meſopotamiæ populis familiaria fuiſſe ferunt: conuolutæ perpetuo nexu grandiores faſciæ ita caput conuelabant, vt in conum non deſinerent, qui mos eſt noſtræ ætatis barbaris. In ſiniſtra quadrans Mathematicus, in dextera Aſtrolabium, artis inſtrumenta.

In Baſi.

ASTRONOMIAE.

Cælo pluſquam Terris familiari, quæ Aſtrolobio officioſè ſubiecto aſtra ſurgentia alleuat, cadentia excipit, quæ Stellarum erroribus fit doctior, quæ Solis, & Lunæ labores eruditæ famæ mercede remunerat, quæ vultum defigere in Cælum docet, vt animum à ter-

à terrenis auocet: digna, cuius imago inter ſydera referatur.

Poſuit Alexander Rhò Sem.Rom.Conuictor.

Geometria nullo præcipuè cultu inſignis circinum ducebat, & orbis Terrarum, quem altera manu ſuſtinebat, magnitudines, Vrbiumque interualla exquirebat.

In Baſi.

GEOMETRIAE.

Corporum dimenſione laudem propè immenſam conſecutæ, quæ dum Terram metitur, eam punctum magnum eſſe declarat, quæ circinum voluens, implet Orbem eruditionis, quæ lineas inſcribens, vel in puluere pingit æternitati, quæ beneficium à ſe collatum in vitam humanam metiri poteſt.

Poſuit Octauius Sanctacrucius.

Aſtronomiæ proxima erat Arithmetica corporis compoſitionis, ac figuræ non inelegantis; alueolo, & numeris in alueoli laterculos diſtributis, tabulam Pythagoricam vocant, facilè diſtinguebatur, tum dexteræ manus articulis, quos ſingulos pertentabat enumerationem dubiam, neque vſque adeò facilem, an integra, & legitima ſit, explorans.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

In Baſi.

ARITHMETICAE.

Doctrinæ verè numeris omnibus abſolutæ, quæ opes ſuas planè in numerato habet, quæ parium, & imparium numerorum rationes omnes docet, numquam gratijs paribus cumulanda, quæ tabella cancellata rerum ſummam, & ſcientiam certiſſimam concludit, quæ cætera numerans, laudes ipſa habet, vel ſibi innumerabiles.

Poſuit Gabriel Duratius Sem. Rom. Conuictor.

His verò, quia veluti Præſes, & Arbitra Gratia non minùs virga, quàm radio, & nomina, & figuras Cælis, ac Stellis attribuit; & terras ipſas ſuas in partes diſtribuit, & quaſi Mercurij Caduceo nè inter ſe diſſiderent firma in pace compoſuit; ideò iure quaſi poſtliminij proximum Geometriæ nec diſſitum ab Aſtrologia locum ſibi vindicauit, edocens linguam ipſam, qua veluti Hercules Gallicus humani generis aures traxit, atque aureis vinculis Orbem ſibi mancipium fecit. Et hæc Atticam elegantiam, & concinnitatem oris, ac membrorum dignitate, quam multam indidit artificis manus, præſeferens Homeri Poëmata in volumine penè reuoluto legenda proponebat.

In

In Baſi.

LINGVAE GRAECAE.

Vt vocibus ità venuſtatibus affluenti, quæ accentibus, ac ſpiritibus res non tam explicat, quam animat, quæ Muſas, & Gratias dum finxit, ſe ipſam expreſſit, quæ humana propè diuina, diuina ſuprahumanam opem expoſuit, qua non Iupiter locuturus, ſed verè in noui Teſtamenti libro loquutus eſt Deus.

Poſuit Franciſcus Ventura S. R. C.

Adeò verò hominis loqui eſt, vt coram eo cætera Animalia ſileant quaſi muta, ipſiuſque linguæ miniſterium pro magiſterio fuit cùm ad Diuini Numinis iuſſum nomina illis ſcienter impoſuit, ac ſi Deus ipſe ſupremus cenſor, ac Iudex hominis iudicio ſe ſubſcribens, illiuſque Vocabulario ſuum concederet: Imprimatur. *Hinc eſt, quod illa alia è regione, quæ ad Septemtrionem vergit quatuor ſub Arcubus veluti ad fœdus, ac triumphum quatuor Diſciplinarum Imagines præſto erant, quibus Eloquentia ipſa ſuis quaſi elementis compingitur.*

Arcus à læua Rhetorices ſtatua ſeſe offerebat, exiguo à Poëſi diſcrimine, quas vtraſque minus genio quàm ſpatio diſſitas memnonias diceres, quarum in ora ſeſe Apollo vel naſcens, vel occumbens infundit: indicato huius veritatis, ac gloriæ arcano cùm

lapi-

lapidibus ipſis, nonniſi Parnaſi in culmine, vox atque anima reddita, edocuit quantum Humanum genus Eloquentiæ debeat, à quà habet, vt loquatur, & viuat.

Hæc integra, atque incorrupta Virgo, capillamento aptè, & decorè compoſito, ornatu qualis fuit in Vrbe nobilium Matronarum inclinante ad Occaſum ſuum Republica, qualem pudor fingit, amat modeſtia, ità ſiniſtra manu nauale gubernaculum regebat, vt altera elata, reducto brachio, proiecto pectore ardenti vultu ſpecimen retineret cauſam difficilem perorantis.

In Baſi.

RHETORICAE.

Ad regimen animarum natæ, cui ſceptrum natiuum eſt lingua, pro Diademate eſt Auditorum corona, qua verborum circuitus nectente primi murorum ambitus coaluerunt, qua geſtum faciente libram æqua manum Iuſtitia ſuſtinet, laudum artifici, quæ ſtatuas Virtuti ponendas ſæpè perſuaſit: dubium tamen plures ne alijs excitandas curauerit, an ſibi excitatas viderit.

Poſuit Cæſar Palazzolius.

Poëſis pudica, ac proba Virgo elata, ac geſtiens tota ad elegantiam, & amœnitatem exornata; capil-

capillos coërcente corona è lauro, oculis modeſta licentia vagis, cultu nec vrbano, nec ruſtico, admirabili potiùs, & peregrino. Hinc lyra, indè plectro inſtructa accinctam ſe, & expeditam ad cantum oculis perſuadebat.

Hæc vna ab illis diſcors, ac diſſona apparebat vtpote quæ exlex, ac libera aliorum dedignata conſeſſum tantum ea lege vti malebat, quam illi olim Horatius ex Apollinis tripode promulgauerat:

Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas. De arte

Protheus perinde omnium formarum, quas ſuo in capite cuderit, atque ideo ſemper eadem, quod nunquam eadem.

In Baſi.

POESI.

Arti origine ſacræ, opinione diuinæ Principibus, & Superis caræ, quæ fabulis veritatem alit, ſapientiam propagat, & prodeſſe ſolita, auctoritatem meruit ex mendacio, quæ per furorem ſuum alijs tranquillitatem conciliat, & amæna lyræ licentia vitia coërcet, cuius metris hominum curæ breues fiunt, & nomen longum.

Poſuere Iulianus, & Thomas Aquauiua.

Meritò his Comes Hiſtoria, quæ vitæ magiſtra, Prometheo maior toto ſuæ veritatis ſole homi-

nes animat, ac Cynico illuſtrior, non vnum, ſed omnes ſeueriore lampade inueſtigat, & inuenit; Sole tamen ſuo ita ſuas Imagines pingens, vt Iris admirationis genitrix videatur: neſciaſque Pictoribus inuidiam reddat, an tollat, interque vmbras luminibus fumum abſtergat, an ignem, accendat.

Veſte ſimplici, qualem Veritatis orationem volunt ſapientes, quam admirationem, ac plauſum Oratoria, nitore, ac pompa, Poëtica pigmentis, ac quadam peregrinitate excitabant, ipſa obtinebat meditata, elaborataque negligentia, ceruice aliquantulùm reflexa, reſpicere videbatur ſpatium præteriti temporis, & quæ obſeruabat in volumen referre.

In Baſi.

HISTORIAE.

Fortunæ ludentis imagini ſeriæ, quæ abſque odio ſcribens non ſine amore legitur, per quam ſecula non noſtra viuimus, quæ vt vitam doceat, artem plerumque à mortuis ſumit, quæ imitabilium copia inimitabilis alijs Artibus exemplo virtutem auget, miſeriam minuit, cui ad rectè factorum laudem pro elogio veritas.

Poſuerunt Sigiſmundus, & Paulus Spada Sem. Rom. Conuictores.

Gram-

Grammatica ſenio veneranda illa quidem, non tamen corpore confecta ornatum omnem à ſe reiecerat, ſiniſtra manu chartam cogebat in volumen, altera clauim auream pertendebat, qua aditum ad Poëticam, Hiſtoriam, ac Oratoriam aperit, operi intenta, & flexo ad imperium ſuo illo ſceptro, ſtudium, atque attentionem, caſtam, atque emendatam locutionem exigebat.

In Baſi.

GRAMMATICAE.

Operoſæ magis quàm magniloquæ, quæ paruis elementis mundum doctrinarum componit, quæ in nominibus, ac verbis laborat, vndè literatorum magna nomina exiſtant, quæ latinitatem cuſtodit, eruditionem aperit, quæ dum locutionem compage generum, caſuum, numerorum, temporum aptè conformat, penè alterum hominem in homine condit.

Poſuere Nicolaus, & Io: Thomas Rondanini Acad. Parth.

Oculos, animumque auguſtam tot ſimulacrorum ſpeciem circumferentes, alia excipiebat rerum forma. Quippe ab libero aditu periſtyli, veſtibuloque Collegij in hanc, vel illam partem ſi flexiſſes, & in Porticu deambulaſſes, oblectabant contemplantem citata ad gaudium, & pompam Viuorum, Mortuorumque Imagines. Ornata Scholarum fores non lucernis, ac

lauro ſed eorum, quibus adoleſcentibus patuerunt, effigie, atque inſignibus Dignitatum.

Diſtributi per quatuor ambulationes iuſtis internallis Purpuratorum vultus ſplendore veſtis aciem oculorum perſtringebant, maieſtate reuerentiam quandam animis inferebant, vt cùm in Vaticano Pontifici aſſident Oratores Principum audituro. Videbas præterea Præſules in infulis, aut breui ſupparo, aut epomide: Nobiles aut loricato pectore, aut ſagulo militari ſuccinctos: Literatorum alios ſynthesi, non paucos endromide, multos forenſi toga, pleroſque Dignitatum, ad quas ſibi eruditione, aut virtute aditum fecerunt, ornamentis indutos. Sed recreabant oculos mirum in modum Ciuitates Orbis principes, grandioribus in tabulis germanis lineamentis, & ipſi locorum natura perſimilibus expreſſæ, atque vel ad Oceani, & maris Mediterranei littora, vel ad nobilium fluminum ripas, vel in amœna camporum planitie, vel ad imas montium radices, vel in medio lacu poſitæ, vel è præruptis, abſciſſiſque rupibus pendentes exponebant omnes formas, quibus Orbis variatur. Hæc autem ſingulorum Arcuum facies.

Hemicycli, qui magno numero in ſummorum parietum, & extremæ cameræ nexu inter delabentes cuneos formantur, lunulas Itali vulgò vocant, non ſecus ac ſtriati aſſerculi præcingebant Vrbium tabulas, ad quarum ora aſſuta aliæ picturæ ad fores, quibus pa-

patet in Scholas ſingulas aditus demittebantur, & varia ianuarum faſtigia multarum formarum antepagmenta genios nudos, ſedentes, ſemiſupinos, pendentes, aut ceruice in humerum prona, aut caſum minante, ore hianti, ridente vultu, fronte mæſta, ſerena, contracta, mira denique varietate ludentes referebant. In huiuſmodi tabularum vmbilico frequentibus auri diluti lituris collucenti, & depictis ad extrema eorumdem ſuperciliorum pendentium in modum ancilibus legebantur non ſine laude, ac commendacione eorum nomina, quorum magnificentiæ delineatæ Vrbes ſua Collegia debent. Ad ſingularum verò Ianuarum latera mentientes ſigilla numaria, & intercurrentis auri venis aſperſum metallum tabellæ vultus reddebant non integros, ſed dimidiata tantùm facie prominentes eorum omnium, qui Equeſtrem Ordinem componebant; pilarum, è quibus decumani fornices emergunt, interior facies ſola purpura tegebatur, & Cardinalium vultus ſibi aduerſos oſtendebat. Scapum eiuſmodi columnarum Epigrammata tegebant.

Ne caput, ac cor deeſſet, à quo omnia ſubſidia, ac præſidia emanant; arcum, qui à veſtibulo ad priuatarum ædium aditum euntibus occurrit primus, Romæ Imago occupabat: illa ſcilicet eadem, cuius quia capax tellus non erat, in Cælos enixa, nullas animi, ac dominij auguſtiſſimi pateretur anguſtias. Cùm verò

verò Ignatio ex Diuini Verbi vadimonio ſeſe propitiam præbuit, non modò ſua germana fide in illo fædus, ac fænus agnouit, ſed nouum ab Hiſpania Galbam exortum, ne dum accitum, qui Romanum Imperium ſuffulciret. Nec ſpem Dux, ac legio ipſa fefellit, cùm ſeptem Collibus tot Hoſtium colla ſubmiſit, atque vltimo ab Oriente in Vaticanum Capitolium, quaſi victos, ac vinctos in triumphum duxit.

ROMA.

Romanum Societatis Collegium hìc pictum non vides, quia verum vides; timuit ars naturam laceſſere, ac tam propè certare. Gregorij Tertijdecimi Fundatoris Optimi Maximi liberalitas, ac munificentia non fragili telæ, ſed æterno marmori debuit comendari. Quot illuſtres Viros hìc aſpicis, tot agnoſce Romani Collegij lineamenta.

Infrà.

Maximum Romę, hoc eſt ipſius roboris robur Hadrianane moles dicatur aptiùs an Vrbana; vt Vrbem tueretur Vrbanus munimētum Vrbis muniuit. Armata

Qui Romam Romæ quæris, partem tantæ Vrbis hìc habes, at ex vngue Leonem, imò ex Vrbe Leonis Vrbanam magnificentiam metire; vt Mundi caput Roma,

ta erat antea Roma, ſed in numis, & ſtatuis, nunc verè Loricam induit, vt Chriſtiani cor Imperij defendat.

ma, ſic Romæ Vaticanus; Vbi Roma iura populis dando ſe Romam gerit; ibi demum Roma eſt.

Hic haud hebetata oculorum acie videbantur vti clariſſima lumina duo Salisburgi Archiepiſcopi, atque Imperij Principes MARCVS SITTICVS AB ALTEMPS, ET WOLFANGVS THEODORICVS A RATENEAV, quibus pro compendio, atque elogio ſatis erant, quando tot virtutes ſilerent, tantæ Dignitatis inſignia.

Duplicabant hanc gloriam NICOLAVS ALEMANNVS multorum Voluminum faber egregius, inter quæ, quia Lateranenſis Baſilicæ vetera monumenta, ac rudimenta ſunt, viſus & ipſe eiuſdem ſuffulcire, & eleuare ruinas. At alter THOMAS DEMPSTERIVS humanarum literarum Bononiæ Magiſter inſignis, qui ſicut editis operibus omnium famem expleuit; ita Authoris deſiderium in eo, quod non edidit, reliquit æternum.

IANVÆ LATERA TEGEBANT.

A dexteris.

MARCVS SITTICVS AB ALTEMPS
Archiepiſcopus Salisburgenſis Princeps Imperij.

Attigiſti culmen nobilitatis,
Dum generoſo Auorum ſanguini
Adieciſti Sapientiam, & ſacros faſces:
Dignus, qui Romæ proponaris imitandus.
Exemplo tuo docuiſti
Prodeſſe ad lucrum nobilitatis,
Hic didiciſſe.

NICOLAVS ALEMANNVS.

Alterum Romæ Capitolium
Vaticana Bibliotheca eſt;
Vbi pietas, & Muſæ triumphant;
Huius Cuſtos fuit
NICOLAVS ALEMANNVS,
Suauiſſima vtriuſque Linguæ Scientia
Planè Olor.
Anſeres fuere Tarpeij Cuſtodes:
Quidni Cycnus cuſtodiret
Vaticanum Capitolium?

A ſini-

Digitized by Google

A ſiniſtris.

WOLFANGVS THEODORICVS

à Rateneau Archiepiſcopus Salisburgenſis

Princeps Imperij.

Hìc olim ſapientior factus
Oſtendiſti, WOLFANGE,
Quæ ſequatur ingenium fortuna:
Cùm primas ingenij referres,
Primas Germaniæ dictus es.
En quem afferunt fructum
Sacrarum flores literarum.
Non Heſperidum;
Sed hic Sapientiæ Hortus
Poma gignit aurea.

THOMAS DEMPSTERVS
Quem Bononia docentem audiuit,
Nos hìc diſcentem vidimus,
Induſtria, & ingenio
Illuſtrem, ab illuſtrata Scotia
Illuſtriorem.
Qui, vt famæ indulgeret,
Suo minus indulſit nomini.
Sed hic eſt genius eruditorum,
Nimiùm velle famæ ſatisfacere.

Poſuit Hercules de Philippis.

Secundum Arcum duæ Ciuitates, quibus locus eadem in Tabula aſſignatus fuit, habita ratione antiquitatis Collegiorum, quod etiam in alijs Ciuitatibus obſeruatum, ornabant duo præclara Siciliæ ſidera.

MESSANA, ET PANORMVS.

Sicilia non minùs ingeniorum, quàm frugum ferax, vt olim Horreum Populi Romani fuit, ità ſemper miraculum eſt generis humani, vbi flammæ cum niuibus ſimultatem non habent, quia ſimul ſunt, vbi aquæ per mare peregrinæ ſaporem maris eiurant, vbi ſpecula didicere obiectas res non geminare, ſed perdere.

Infra.

Quid vetus nomen, & gloriam, aut è ruderibus colligis, aut in hiſtorijs perlegis Meſſana, conditum *à tuo Magiſtratu* Gymnaſium antiquam omnem famam, & ſplendorem abſorbet, vt altera te videatur nobilitare Carybdis, ſed in

Magno parenti non indignandus eſt partus, Panormitanum Collegium, *à Carolo* nempè *Quinto* Cæſare fundatum, in quod Caput vnum tot diademata virtus, ac fortuna congeſſerant. *Panormi* quoque *Magiſtratus, & Ioannes Pla-*

in qua mergatur vetuſta, vt glorioſior hæc ætas emergat.

Platamonus Ciuis tanto gloriantur in ea liberalitate Collega.

Vt quaſi gladiatorum paria in hanc Romanam atque auream arenã ingenia deſcenderent, en tibi ANTONIVS WOLFFRADT Viennæ in Auſtria Metropoli Epiſcopus virtutum ſuffragio ibi Primas, vbi nulli erat Scientiarum voto ſecundus, ac IOANNES TETZEL Olomucenſis in Morauiæ Metropoli Antiſtes quem etiam ſicut nemo meritis anteibat, ita fama poſt veſtigia ſubſecuta. Ne ab his declinarent, proximè Marius Alterius, *ac* Marcellus Francolinus *ſemitam ſectabantur, quia Moralis Theologiæ ambo Interpretes, eodem in ſtudio, ac Stadio lauream promeriti immortalem.*

A dextris.

F. ANTONIVS WOLFFRADT

Epiſcopus Viennenſis Princeps Imperij.

ANTONIVS hic eſt, quem in partem
Arcanorum vocarunt Imperatores.
Non tractauit ille manu ſceptra,
Sed mente magnorum officina
Conſiliorum iuuit.
Breuibus noſtræ laudationis
Anguſtijs conſuluit laudatiſſimus
Princeps,
Dum infuſo ſpiritu meritorum
Vniuerſitatem in laudes animauit.

MARIVS ALTERIVS.

Tu quoque MARI; Gymnaſio noſtro
Decus eximium comparaſti.
Hìc enim excultus, & adlectus
Inter Canonicos Vaticanos
Legum te omnium ligaſti cenſura,
Hominum verò Societatem
Edita de Cenſuris doctrina obſtrinxiſti,
Vnam interim in prædicando te
Voluiſti famam
Solutam penitus; & exlegem:

A ſiniſtris.

IOANNES TETZEL

Epiſcopus Olomucenſis.

Romam hunc allegauit Germania,
Vt ad infulas creſceret,
Ceſſuras olim in gloriæ diadema;
Dedit ſapientiæ lauream Roma,
Tum reducem rata Herculem Patria,
Hydram ſecandam obiecit Hæreſim.
Nouam ob reſectum monſtrum
Dediſſet illi Coronam Germania;
Sed Hydræ domitori
Vnum pro Corona Cælum eſt.

MAR-

Digitized by Google

MARCELLVS FRANCOLINVS

Quis dignum elogio MARCELLVM
Non æſtimet, quem BELLARMINVS,
Et BARONIVS duo huius ſeculi
Lumina laudibus illuſtrarunt?
Scripſit de horis Canonicis
Opus omnium horarum.
Magno vtique fænore cumulatus
Interijt,
Cui horæ diuinæ pepererunt
Plauſum immortalem.

Poſuere Sinibaldus de Auria Sem.Rom. Conuictor, & Ioannes Philippus de Rubeis.

Tres Nobiles Vrbes Inſubriæ videbantur in Arcu tertio

MEDIOLANVM, MANTVA, PARMA.

Tibi Fundatori debetur Mediolanenſe Collegium, CAROLE BORROMÆE, venerabile nomen miraculo virtutum, & virtute miraculorum. Vobis Parmenſe Farneſij Duces OCTAVI,& RAINVTI: Vobis Mantuanum Gonzagæ Duces GVLIELME, atque ELEONORA AVSTRIACA, & HERCVLES CARDINALIS, vt haberet hodieque Mantua Cycnos ſuos.

Quia

Digitized by Google

Quia iam Neapolio Comitolus *Romana in Rota clauum fixerat, facilem habuit ad Peruſinam Vrbem vtpotè auguſtam, aſcenſum, cui vti Antiſtes coronatus praeeſſet. Suum quoque* Ioannes Tomcus *Capitolium ſtruens, non modo cùm Boſnæ infulis redimitus, ſed catholicæ pietatis ſua inter opera, ſpectacula edidit admiranda, cùm magnificis ſumptibus Deo cenſum reddere, atque oblatrantium Hæreticorum ora obſtruere nititur.*

Aderant hìc CAMILLVS DE LELLIS eorum Religioſorum Fundator, qui dum corporibus, animiſque medendis incumbunt, æternam non minùs ſibi, quam humano generi ſalutem parturiunt; & DANIEL MALONIVS, qui Diui Hieronymi ſub Regula militans optimo à Parente, ac Doctore maximo habuit, vt ſex dierum in opere Examerone, Ambroſium *quoque ſecutus, ab vtroque melleum melos expreſſerit.*

A dextris.

NEAPOLIO COMITOLVS
Epiſcopus Peruſinus.

O natum ad laureas caput?
Cui coronando
Suam Philoſophia,
Iuriſprudentia contulit ſuam,
Tertiam

E Sa-

E Sacris intextam infulis
Addidit Pontificis manus.
Sed nondum Ciuem ſuum
Ob ſacras ædes excitatas,
Et pauperes enutritos,
Patria coronauit.
Quid ergo creditori tanto,
Soluet obærata Peruſia?
In coronam attexet
Æternitatem famæ.

CAMILLVS DE LELLIS
Fundator Ordinis Miniſtrantium Infirmis.

Tibi, CAMILLE,
Et ſi Pietas Theatrum fuit,
Tamen hìc libuit
Geſtum facere,
Vbi ſapientia ſcenam exhibet.
Retuliſti plauſum
Præclara imitatione:
Dum vides excoli
Ægra ingenia,
Potuiſti excolere
Ægra corpora;
Eccleſia fauente;
Cuius ſuffragio

Alum-

Alumna tuæ virtutis Familia
Nominata eſt Adminiſtra Pietatis;
Cui ſeruire Regium eſt.

A ſiniſtris.

IOANNES THOMCVS
Epiſcopus Boſnenſis.

Quis hoc exornari dignior,
Qui totus in ſacris
Ornatibus aſſerendis fuit!
In eos exercuit ſtylum,
Qui profuſam in Sacra Templa
Liberalitatem
Temeritate nimis libera
Dehoneſtant.
Adeſt ergo Ioannes,
Exornatur iure
Secularibus ludis,
Qui laboribus eruditis
Seculum exornauit.
Sic labor non vltra vitam eſt:
Ortum à labore nomen
Fines ingreditur æternitatis.

Digitized by Google

DANIEL MALONIVS.

Ingenio ſimul, & manu
Viſus hic eſt molitricem
Rerum æmulari Diuinitatem:
Sex dierum opera
Opifice deſcripſit ingenio;
Additaque manui penna
Dierum omnium opus
Volando perfecit.
Tum Paleoti Librum
De ſacra Syndone fecit,
Additis à ſe notis, auctiorem.
Miraris æternam ſibi
Telam gloriæ texuiſſe?
Linteum illud abſumi neſcium
Duratura æternum ſtamina
Suppeditauit.

Poſuere Ignatius Marinus, & Ioſeph Tizzanus
Sem. Rom. Conuictores.

Quæ tamen decem Cardinalium Purpuris intermixta micabat lactea dici poterat, pluribus ſideribus concinnata, niſi quod nimium candorem charitatis ignibus ſociantes de Eccleſia Chriſti ſponſa dicere poterant: Biſſus, & Purpura indumentum eius.

MICHAEL BONELLVS
Cardinalis Alexandrinus.

Epigramma.

Pileum Alexandrine geris, quod ſyderis inſtar
Vertice ſydereo geſſerat ante Pius.
Annulũ Alexandrine geris, quo dextera vindex
Caroli agit domitam in tartara perfidiam.
Heroum Michaël decora alta capeſſe, vocat te
Hinc cæleſte caput, regia & inde manus.

HIERONYMVS RVSTICVCCIVS.

Epigramma.

Sacrum nomen habes, Hieronyme, fundamentũ
Dat Pius, hinc pietas quale ſacrabit opus?
Quid ſine te Pius eſt molitus? fulminat hoſtes?
Ignea tu rapidi fulminis Ales ades. (cæpit
Summa operũ templum eſt, tua nobile laurea
Quod pietas, pietas ſola coronat opus.

AVGVSTINVS VALERIVS.

Eloquentia purpurata, fulmen
Hæbrææ, Latiæ, Atticæque linguæ,
Iuris, ac Sophiæ Magiſter, ingens

Di-

Digitized by Google

Dicendi faber atque differendi,
Fulminumque voluminumque centum,
Et vaſtum ſapientiæ profundum,
Quo te carmine Roma prædicabit
Auguſtine? Tiara te merentem
Vaticana petit, ſuum parentem
Sacro Carolus ore te ſalutat,
Quo te Carmine Roma prædicabit?
Quo te Carolus ore prædicauit.

ALEXANDER MONTALTVS.

Epigramma.

Inſtar grande Ducis ſocijs Heroibus vnum,
Pallas Alexandrum Gregoriana dedit. (bem,
Magnanimus Leo non ſine ſydere lapſus in Vr-
Vrbis ab Hoſpitio ſydus in aſtra redit.
Natus Alexander Romę eſt.Romana Iuuentus,
Nonniſi Alexandros debet habere Duces.

HENRICVS CAETANVS.

Epigramma.

Fulminat Henricus te magna Lutetia, contra
Henrici Henricus fulmina magnus adeſt.
Obſidet ille Vrbem, ſedet alter amicus, & Vrbē
Et Regnum auxilijs, conſilioque tegit.

Digitized by Google

Ille abit, hic remanet, cauſā vis noſcere? magnos
Non capit Henricos Regia magna duos.

HIERONYMVS MATTHÆIVS.

Epigramma.

Ignea te radijs, Hieronyme, purpura ſolem
Amplexa, auricomos egit in Vrbe dies.
Sol Naupactæo demergis in æquore Lunam;
Laurigeraſque rigas aureus imbre rates.
Mox legis hæredes tibi lumina Palladis, an no
Qui legis hæredes ſydera Phœbus eras.

BENEDICTVS IVSTINIANVS.

Epigramma.

Cui bis Ager Pici, bis celſa Bononia recta eſt,
Qui trahis à magnis nomina Cæſaribus:
Poſt Lauretanæ centum data munera, eandem
Hæredem Mariam Iuſtiniane vocas.
Quid tibi Cæſaribus Proauis opus? vna parentē
Quem Virgo optauit, Cæſare non minor es.

MARIANVS PERBENEDICTVS.

Epigramma.

Partheniæ Molis Marianus amabile primus,
Et fundamentum, primaque gemma fuit.
Hinc

Hinc oſtrum Mariane refers, hinc aſtra petenti
 Parthenio Capiti Virgo Corona fuit.
Parthenijs fundator ades Mariane, lapillus,
 Quàm pretioſus eras, qui Marianus eras.

OCTAVIVS PARAVICINVS.

Nerius litat, ad Litantis aram
Viginti aſſiduus miniſter annos
Eſt Octauius, ac miniſtrum in ara
Ambit Purpura ſacra purpuratum.
Quin Germaniæ nuncupat Patronum?
Octaui tibi iure gratulandum eſt,
Eras qui modò Cælitum miniſter,
Audis quàm benè Cæſarum Patronus.

FRANCISCVS TOLETVS.

Vox hæc tua fuit, Roma, Toletus docet.
Theologos diuina? Toletus docet.
Sophiæ explicas effata? Toletus docet.
Vis cordium Conſulta? Toletus docet.
Quid Sacra in æde? Sacra Toletus docet.
Quid nunc in Aſtris? aſtra quæ rapuit docet.

Quæ IV. in Arcu, qui primus ad occaſum inclinans obuius erat, ſuo quaſi in ſolio reſidebat Neapolis;

erat

erat eius Regina Regni quod in Italia antonomaſticè Regnum dicitur; quodque in duodecim diſtinctum Prouincias, eam Vrbem Solem in Zodiaco indicat præſidentem: tunc maximè idem nomen promeritum, cum Regum Regi ad gloriam ſeruit.

NEAPOLIS.

Sirenum filia, Muſarum parens Neapolis canere ab illis didicit, has docuit, ſed innocēter; ex quo præſertim Metalionis DVX ROBERTA CARAFA ea in Vrbe Collegium, an Parnaſſum Pauſilypi æmulum extruxit. Liberalis dexteræ iuſſu prodigioſo vertitur in Permeſſum Sebethus; adeo magicam habet vim beneficentia.

Quanta ſubeſt ingenio Poëtarum fertilitas, quorum cineres ipſi fœcundi ſunt: Vergilianum ad tumulum nouæ in dies laureæ renaſcuntur; quot inſtituit Iuuenes Neapolitanum Collegium, tot penè Virgilios inſtituit.

Veſuuianæ flammę plura ne ad alienam ruinam incēdia an ad ſuam gloriam excitarunt ingenia: Latiùs certè peruasère ſcriptorū pennis, quàm ſcintillis, aut cineribus ſuis. Fuit Neapolis ab infelicitate felicior.

Inibi

Inibi gregatim ſe dediſſe dicerem, niſi quod omnes egregij Ioannes Adolphus ab Hoenegg, ac Georgius Kalkenreid Abbas alter Fuldenſis, Murbacenſis alter, atque Imperij Principes, ambo edocentes poſſe in Clauſtris adultos ad caſtra pro defendenda Eccleſia non ſine victoria redire, cùm contra Gigantes in nomine Domini itur ad bellum. Eodem pugnarunt, ac triumpharunt in ſpatio Petrus Trigoſius, qui Capuccinorum in Ordine ſuos quaſi inter cineres eam facem omnibus prætulit, quod Diui Bonauenturæ ſummam Theologicam in compendium redigens Angelico Doctori Seraphicum addidit, ac ſumpto quaſi de altari igneo Carbunculo, aliorum non minùs labra, quam lumina abſterſerit, quod vt aſſequeretur eximiè præſtitit. Comes aderat Lelius Pellegrinus, qui & ipſe calamo, quo de moribus Philoſophiam inſtruxit, eam vti aduenam, ac Peregrinam ſecum reduxit.

A dexteris.

FR. IOANNES ADOLPHVS
ab Hohenegg Abbas Fuldenſis Princeps Imperij.

Huic magnorum, ac Principum virorum
Coronæ adde te gemmam Principem
Imperij ſacri Princeps.
Vnus tu coronabis Theatrum ſatis,
Qui

Digitized by Google

Qui manu tua coronabas Imperatrices.
Haſtis aureis pro Cæſare pugnaſti,
Hoſtes ferreos magnificè perditurus
Viciſti cum perfidia cupiditatem:
Quid ſi ſpectaculis noſtris ades
Immortalitate laureatus?

PETRVS TRIGOSIVS.

Quam ex hoc Collegio Sapientiam hauſerat
Inexhauſto doctrinarum omnium fonti
Deo addixit,
Capuccinorum Familiæ additus;
Libris Bonauenturæ de ſacra doctrina
Redactis in ſummam,
Summa votorum attigit,
Quia magnis quæſitam meritis
Tenuit nominis immortalitatem.
Hoc ſummum grādium animorum votum eſt.

A ſiniſtris.

FR. GEORGIVS KALKENREID
Abbas Murbacenſis Princeps Imperij.

Animam hic verè auream,
Hauſto ex hac fodina ſapientiæ
Auro,

Digitized by Google

Auro, cumulauit.
Sic bona omnia ſecum aſportauit
In Patriam, futurus æternum diues:
Redditibus ex Eccleſiæ Patrimonio
Auctus, vnum ſtuduit,
Comparare ſibi theſaurum famæ.
Diuitijs longè pretioſius ratus,
Bonum apud poſteros nomen.
Hoc Principes in ſæcula diuites facit.

LÆLIVS PELLEGRINVS.

Peregrina repoſcit encomia,
Qui neſciuit à ſapientia peregrinari:
Tribus de morum doctrina libris
Mortalitatem ne an æternitatem
Donauit hæredem?
Cùm de perturbationibus animi
Frænandis præcepta edidit,
Labentem frænauit gloriæ rotam,
Non clauo, ſed ſtylo.
Hoc rotam etiam fortunæ ſiſtes.

Arcum V. Coronabant Luſitaniæ ornamenta.

VLYSIPPO, & EBORA.

Maioris ne gloriæ Luſitanis fuit nouas in-

G ue-

uenire regiones, an veteres erudire? Magnum eſt Mundos agglomerare Mundo, ac totam explicare naturam, at maius Mundi viſcera mente rimari, lucem illuminare, atque ipſi Soli Solem eſſe; glorioſum iubere, vt ex aquis terræ rurſum exiſtant, glorioſius verò ſcientiæ diem, ab ignorantiæ nocte ſecernere. Denique mortalibus aperire nauigationibus mare, commentationibus Cælum, Luſitanorum eſt.

Infra.

Duplicata ſpectabilis Purpura, & cocco planè bis tincto inſignis fuit HENRICVS LVSITANIÆ REX idem, & Cardinalis. Vtramq; perſonam pro dignitate ſuſtinuit Eborenſem Academiã erigendo; amor quippè ſapientiæ,& corona Regum eſt, & infula Cardinalium.

Quod gemino facias cõmercia Mundo magna,ſed nõ ſola tua laus eſt,Vlyſippo; ſæculorum etiam docta negotiatio trãſigitur in iſto literarum Emporio, quod tibi IOANNES,& HENRICVS frater Reges inſtituere, vt bonæ quoque artes in Indiam nauigarent.

Nè LVSITANIA Oceani in littore ſita, atque aureis Tagi tempeſtatibus diues præclaras ſuas opes, at-

atque eximios deſideraret Vlyſſes, ſuo quaſi in portu erat IOANNES PETRVS VVLPIVS, de quo non minùs ingenij luce, quàm Nouarienſibus infulis clāro nemo vti cæleſti è cratere non biberet: ijſdem ſcientiarum, Virtutumque dotibus præditus FRANCISCVS DIOTALLEVIVS, quia Apoſtolicus in Polonia Nuncius egregiam nauauerat operam, viſus eſt tradita à Domino talenta duplicaſſe, nec minùs quàm Vlyſſes illo elogio dignus, qui mores multorum vidit, & Vrbes. Huic ne nouus quaſi Atlas deeſſet, adhærebat IOANNES BOTERVS omnium temporum Aſſecla indiuiduus, omniumque locorum explorator domeſticus; ac ſi diceret: Ciuis mundanus ſum. *Quod ſi Apollonius Rodius, vbi Tullium orantem audiuit, doluit eloquentiam è Græcia quaſi oſtraciſmo multatam in Romanum Aſylum exulem commigraſſe: eandem gloriam AVGVSTINO MASCARDO conceſſiſſet Etruria, cùm Romanis à Roſtris, vel Latinus Cicero, vel Etruſcus Pericles tonitrua, ac fulgura mitteret, ac Iano ſuo ſimilis gemino ore non minùs alliceret, quàm doceret.* Plutar. in Cic.

A dextris.

FRANCISCVS DIOTALLEVIVS
Nuncius ad Regem Poloniæ.

Inter Literarij ſæculi Proceres,
Tu quoque Franciſce numeraris:

Eruditus in ſanctiori Parnaſſo
Rude pluſquàm Apollinari donatus es:
Poſtquam Theologicum ſtudium
Decurriſti Herculeo pede,
Opere doctiſſimo,
Ingenij tui magnitudinem probaſti;
Sed ſuſceptis legationibus,
Non minùs lingua, quàm calamo profuiſti.

AVGVSTINVS MASCARDVS.

Hunc omnium literarum Virum,
Oratorem, Poëtam, Philologum,
Hiſtoricum, & Hiſtoriæ Magiſtrum
Obijſſe fama cecinit,
Falsò: ſi viuere ingenij eſt,
Nemo nobiliùs viuit.
Obijt ipſe diem ſuum,
Sed dies Literatorum eſt immortalitas.
Sæpè mors auget famam:
Et fama doctarum mentium vita eſt.

A ſiniſtris.
IOANNES PETRVS VVLPIVS
Epiſcopus Nouarienſis.
Larij delicias cum poëtico plectro
Muſis reliquiſti Vulpi,

Vt

Vt in hoc Romano Cælo
Abditis Philoſophiæ luminibus
Faces ſapientiæ traderes perennitati.
Senſit has ad pietatem vitales
Ciuitas Nouarienſis,
Vbi hiſce etiam flammis animata
Viuit vigetque
Societas IESV.

IOANNES BOTERVS.

Hæc Imago, incertum
Boteri ne ſit, an Eruditionis?
Terrarum tractus, mores Populorum,
Militum facta, dicta ſapientum,
Principum vtramque potentiam
Armatam, togatam,
Quidquid vbique rerum eſt,
Boterus retulit.
Plura non referret Eruditio;
Si Boteri loco ſcriberet.
Poſuit Ioſephus Pighinus.

Sat inter Luſitanas Vrbes CONIMBRICAE ad gloriam erat ſuo nomine Collegium, quaſi Athenæum è collata opera Theologica, Philoſophica oracula collegiſſe, niſi Arcus Sexti in fornice turrem ſe potiùs Babylo-

bylonicam omni linguarum commercio inſtructam omnium ſcientiarum mercibus refertum Emporium, oſtenderet

CONIMBRICA.

Quod Collegium eſt, cui facem non præferat in Philoſophiæ curriculo Conimbricenſe Collegium? in hoc Ariſtoteles clariùs docet, quàm in Peripato ſuo. Immortales debentur gratiæ IOANNI LVSITANIÆ REGI huius nominis Tertio, qui vnam hanc erigendo Academiam, Academijs omnibus conſuluit: non Vrbi hoc fuit, ſed Orbi Terræ Magiſtros deſtinaſſe.

Infrà.

Caput olim Luſitanici Regni, nunc os, & lingua Conimbrica eſt, hac liberales Artes tam diſertè loquuntur, vt in admirationem ſui cæteras rapiant nationes. In tam felici ſolo Scriptoribus equè laureæ pullulant, ac Victoribus, vt meritas

Luſitanorum Regum prudentiæ tam togata Pallas placuit, quàm ſagata: propagarunt armis Imperium, literis famam. Teſtis Conimbrica, quæ nũc etiam Ioannis Tertij nomen, ac magnificentiam ſonat: ſileri non debet, qui cauit, nè diſciplinæ

tas frontes frondibus coronent. næ ſilerent.

Huius Vrbis regium ſirma non aulici aſſentatores, ſed nobiles ſectatores attollebant PAVLVS AEMILIVS SANCTORIVS Vrbinas Archiepiſcopus, ſi ingeniorum tranſmigratio dari potuiſſet, alter Tacitus; niſi quod tunc maximè cùm illius ſtylum ſtringeret, non minùs ſuam, quam alienam famam ad elogia ſolueret. Lauretanas infulas cùm RVTILIVS BENZONIVS tulit, ad eas calamo præpete præcurrere addidicit Laureatus.

Nec nominis augurio defuit LAVRENTIVS FRIZOLIVS, vt ſecum ad eandem gloriam raperet HIERONYMVM BADESIVM latini Idiomatis penè parentes; quoniam ille in Vaticana Baſilica Diuo Gregorio Nazianzeno dicatum ſacellum cùm ſuis coloribus animauit, dedit Gregorij XIII. Draconi quod cuſtodiret; Hic cùm alterum ad Domini Præſepe Sixti V. Sacellum latinis verſibus exornauit, docuit inter niues, ac paleas Parnaſi quoque laureas reuireſcere, ac Montalti Leonem in Exquilini vertice, ac propè cæleſtem Virginem ſua inſtaurare miracula.

PAV-

A dextris.

PAVLVS ÆMILIVS SANCTORIVS

Archiepiſcopus Vrbinas.

Habes hic infulatum Vrbinatis
Eccleſiæ Præſidem,
Et Literatorum Procerem,
Sapientiæ Laurea diadematum.
Deſcriptæ ſuorum temporum res geſtæ
Lucem publicam expectant,
Annalibus additiuræ lucem.
Virgines XII. illuſtrauit,
Solem dixeris in Zodiaco,
Sed in ſede Virginis hoſpitantem.

LAVRENTIVS FRIZOLIVS.

Quam gerebat laurum in nomine,
Habuit à Gregorianis Muſis
Capiti coronalem.
Pretioſas ingenij merces, quas
Auſpice Gregorio cumulauerat,
Refudit in authorem;
Dum ab eo excitatum in Vaticano
Sacellum carmine proſecutus eſt.
Periturum, ne carmen credis,
In æternitatis Templo dicatum?

Aſini-

A ſiniſtris.

RVTILIVS BENZONIVS

Epiſcopus Lauretanus.

Hic glorioſis infeſtam nominibus,
Perditurus obliuionem,
Stylum Romana Virtute ſtrinxit;
Volumina omninò ſex
Ingenij monumenta explicatiſſimi
Poſt annorum innumerabilem
Seriem euoluenda
Commiſit famæ;
Cui voce pari dicturæ Rutilium
Vnus potuit Rutilius vocem dare.

HIERONYMVS BADESIVS.

Et hic Muſarum Alumnus fuit:
Conſtructum in Exquilijs
A' Sixto V. P. M. Sacellum,
Carminibus exornauit,
Et vbi ad infantis Dei cunabula
Cælites accinunt,
Vox audita Hieronymi eſt.
Hanc reddit adhuc Echo de Cælo,
Nec patitur interire
Carmen æternitate digniſſimum:

Poſuere Vrbanus Amaiden Acad. Parth. & Philippus Rauenna.

Duobus quaſi brachijs ad amplectendum Arcum VII. ab vtriuſque Orbis longinquis partibus, coaleſcere viſæ ſunt

BRACARA, GOA, COCINVM.

Et antiquior Hiſpaniæ vlterioris Conuentus, & recentius Chriſtianorum Patrum Concilium Bracaram nobilitauit; nam ex vtriuſque reliquijs ſapientia ſuperſtes in illo inſtauratur Collegio, quod ibidem excitarunt HENRICVS LVSITANIÆ REX, & Cardinalis, & BARTHOLOMÆVS A MARTYRIBVS Archiepiſcopus, & Primas. Reſeminata maiorum virtus in poſteris refloreſcit: magnum inſtar parentum eſt generoſa poſteritas.

Infra.

Diuitis olim India cognomen tulit, nūc vt ſapientis etiam referat Goanum facit Gymnaſiū ab IOANNE TERTIO LVSITANIÆ REGE fundatū. Vt nouum il-

Cocinum in Vrbē ad extremam naturæ laciniam non tam relegata, quàm prouecta feliciter eſt nobilis literatura. Sedem hìc habuit ſe dignam à Ciuibus, qui iam-tum

illum Orbem terræ diſciplinæ illuſtrarēt, hanc ſibi ſpeculam delegere;hac illa mē-te ſapit, hoc ore lo-quitur.

tum ſapientes erant cùm honorifico ex-cipiebant hoſpi-tio ſapien-tiam.

GVLIELMVS GIFFORDIVS Rhemenſis, ET IO: MATTHAEVS CARIOFILVS Iconij Archiepiſcopus Icon vterque virtute, ac ſcientia tam ſimilis, vt Hermathenæ ſimulacrum condere videretur. Anglus ille, ſeu potiùs Angelus in Hæreticos calamo armatus, & gladio; hic Cretenſis virtutis, ac Veritatis Romæ vindex acerrimus Poëtarum mendacium refellere voce, & calámo petuit: Cretenſes ſemper mendaces; imitatus Paulum, vt illum genti ſuæ conciliaret.

Quod olim de Platone idem de PAVLO BENIO optimè dictum eſſe puto, nonniſi illius lingua Iouem loqùuturum: ab vtroque author elogij mutuatur vel fauos, vel aculeos; quamque Patauij eloquentiam ille docuerat, hic eam didicerat. Nec à vero abeſt Platonem ex Pythagoræ placito in vtrumque commigraſſe. Cùm POMPEIVS VGONIVS Sacras Vrbis ſtationes ſtylo, manuque percurrit, viſus eſt cæleſtia ſtipendia vti emeritus non minùs facere, quàm colligere; in hoc, Pompeio ſuo diſpar, quod ille iactare con-

ſueuerat vno pede ſe pedites, equiteſque è telluris viſceribus editurum, hic Romanis è cineribus non modò theſauros, ſed æraria deprompſit, quibus militibus ſuis & pretia perſoluit Deus exercituum, & coronas.

A dextris.

GVLIELMVS GIFFORDIVS
Archiepiſcopus Rhemenſis.

En Antiſtitem veſtrum, Rhemenſes,
Qui dum infulis caput obligauit,
In omnem ſapientiæ libertatem
Diſſoluit ingenium.
Terminali voluminum puncto
Infinitam inchoauit lineam
Immortalitatis.
Quamuis enim
Linea rerum vltima ſit mors,
Vitam terminare ſapientis nequit.

PAVLVS BENIVS.

Si Ficino, & Plotino tertium
Addideris Benium; abſolutum dabis
Platonicæ Reipublicæ Triumuiratum:
Profeſſus eloquentiam Patauij,

Pla-

Platonicum expreſſit Oratorem.
Eruditam de mouendis affectibus
Diſputationem luci commiſit,
Mouetque lectoribus admirationem.
Nec tu deſines Benium admirari,
Cuius eruditio propè miraculum eſt.

A ſiniſtris.
IOANNES MATTHÆVS CARIOFILVS
Archiepiſcopus Iconienſis.

Hunc vel eruditum ſublimioris
Literaturæ Doctorem admirare,
Vel conſtantem Pontificiæ
Auctoritatis venerare propugnatorem;
Et victoriarum indices, &
Eruditionis obſides paginas habes,
Quas ille Græcis ſuis reliquit
Solatia lacrymarum.
Hoc ſolantur patrimonio
Magni viri
Miſeram poſterorum orbitatem.

POMPEIVS VGONIVS.

Veterem ſi cupis Hermetem;
Hunc tibi reddimus in Vgonio,
Qui

Qui ſacras Romæ ſtationes obeuntibus
Eruditus adeſt, ac fidus interpres.
Ex hac Gregoriana Palæſtra
In Romanæ Sapientiæ lyceum deſcendit,
Vt eo exponeret in Emporio
Quas hic acquiſierat merces.
Vis induſtrij fœnora Nundinatoris?
Totius tulit encomia poſteritatis.
Poſuit Claſſis Secundanorum.

Magnum opus VIII. Arcus quaſi ad miraculum claudebat, vtpote quo Regiones olim noſtro Orbi obſcuras inſpiciens iactare poterat, eas ſibi non amplius, ignotas, ſed ad Cælos iam peruias, poſtquam illas hominum quaſi Gigantum veſtigia permearunt.

BAYA, AMACA, NANGASACHIVM.

Quale opus illud eſt quod Regum duorum eſt opus. Ad fundandum Bayacenſe Collegium Longas Imperio, Largas Impenſis coniunxere manus DVO LVSITANI REGES, IOANNES TERTIVS, ac SEBASTIANVS: Barbaries illa terrarum præclaris artibus excolenda regales dexteras poſtulabat, ſceptra pro ligonibus,& vomeres coronatos. Felices plantæ, quæ non vna Regia manu ſunt ſatæ.

Te

Digitized by Google

Infrà.

Te quoque pars aliqua manebat in hoc Vrbiū Theatro, Vrbs Iaponiæ celebris Nāgaſachium; hanc tibi lucē promeruit tuū illud ſtudioſorum, an Martyrum Seminarium. Plures ibi diſciplinæ ſunt inſtitutæ; ſed nulla præſtantior, quàm quę docet Chriſto viuere, pro Chriſto mori.

Impenetrabile Sinarum Regnum quà montibus, ac maris immanibus voraginibus, quà periculis, & ſupplicijs cuſtoditum Collegium Amacanū eruditione inſtructū peruium fecit; ad Nationem quippe literatam nonniſi per literas patebat acceſſus atrati vicere calami, nō haſtę argētatæ.

Dignitate præfulgentes PHILIBERTVS MIGLIETTVS, & BALTHASAR CAGLIARESIVS, Taurinenſi ille lituo, hic Melitenſi virtutes, ac ſcientias armatim ſuum in Ouile Paſtores agebant. Hos inter duo maxima quaſi ſidera coruſcabant, GEORGIVS CONÆVS Scotus, Pontificius Cubicularius, niſi quod Scotiam ſuam à tenebris dictam atramento ipſo à tenebris vindicauit; Purpuram ab Vrbano Sole ſuam quaſi auroram habiturus, niſi illam inuida mors præripuiſſet; poſtquàm apud Angliæ Reginam pro Pontifice aſſidens à Cælo audijt : Aſcende ſuperiùs, *vt piè cre-*

creditur. Monſtrum alter erat GEORGIVS STRAQVHANVS, qui prodigioſa ſeptuaginta linguarum peritia præditus, ſicut totius Orbis linguas in ſe vno vindicauerat; ita ſolam famam elinguem reddidit, ſuas Babyloni reſtituens, vt ſe confuſam vno ore fateretur.

A dextris.

FILIBERTVS MIGLIETTVS
Archiepiſcopus Taurinenſis.

Hunc etiam ad infulas informauit
Regia Pontificum Roma.
Hinc reuocatus in Patriam,
Et Eccleſiæ Taurinenſi præpoſitus,
Ea ſapientiæ nota præluxit,
Quæ tenebras euicit obliuionis.
Huc ades Lector,
Si facem tibi ſapientia dederit;
Malignam ſæculorum ingruentium
Noctem ride.

GEORGIVS CONÆVS.

Saluta Ciuem tuum, Scotia,
Excultam hic ingenij dexteritatem,
Cuius

Cuius habent poſteri Monumenta,
Probauit in Aula Romana.
Ad Angliæ Reginam allegatus,
Vix inde redux apparuit Romæ,
Cùm deſtinatæ Purpuræ
Immatura morte ſubreptus eſt:
Non tamen eſt ereptus gloriæ,
Quam viuax alit opinio meritorum.

A ſiniſtris.
BALTHASAR CAGLIARESIVS
Epiſcopus Melitenſis.

Creſcebat apud nos Balthaſar,
Sed vobis interim adoleſcebat,
Equites Hieroſolymitani.
Veſtram Antiſtes niueus geſſit crucem,
Inuiolati pectoris indicem,
Et obſidem candidæ probitatis.
Quoniam caremus viuo,
Vultum expreſſimus mortui;
Hortantur enim ad grandia
Magnorum Imagines mortuorum.

GEORGIVS STRAQVHANVS.
Hunc crede
Vel Mnemoſynes filium,

Vel miraculum generis humani.
Quaſi vbique gentium natus eſſet,
Cum omnibus gentibus loqui potuit.
Mirare Scoti hominis prodigium,
Duas, & ſeptuaginta linguas
Vnus calluit.
Par Diſcipulus huic Collegio,
Quod omnium gentium lingua eſt.
Poſuit Claſſis Primanorum.

Nonum huius ambulacri, ſiue vltimum Arcum decorabant duæ Hiſpaniarum Ciuitates

MVRCIA, GANDIA.

Murcianum, & Gandienſe Collegium Theatra duo ſunt, in quibus duorum inſignium Fundatorum in ſcenam prodit ſcitiſſimè geſtum faciens liberalitas; in eo Cartaginienſis Epiſcopi STEPHANI DE ALMEIDA genere, & generoſitate Luſitani; in hoc vbi primam Societas habuit Academiam FRANCISCI BORGIÆ, quem nominaſſe ſolum, eſt abundè laudaſſe.

Decorem augebant duo Mitra praefulgidi SERGIVS RISIVS Damaſcenus Archiepiſcopus, cuius inſi·

inſignia pro Orthodoxa Religione Volumina plurium Bibliothecarum cuſtodia, pro Theſauris, atque armarijs habentur, ac IOANNES VELLAMINVS Ruthenus, qui poſtquàm Baſilij in albo Ioſepho nomen dedit, Catholicæ Fidei in Lithuania ſtrenuus propugnator ad Metropolitæ culmen euectus, nihil ſibi reliquum fecit, quo vitæ auſteritate, ſcientiarum inſtrumento, atque Apoſtolico zelo ſuum Baſilium ſequeretur.

Vt idem Arcus admirabilior appareret, dignus eo elogio: Vide arcum, & benedic eum: *pu chrior eminebat M. ANTONIVS GOVRGVERVS,* Eccl.43. 12. *qui dum Burdigalenſi in Senatu Præſes plurium ſcientiarum lumine ad veritatis Solem fulguraret, atque omnium oculos animoſque ad ſe conuerteret, addere etiam illud poterat:* Mille trahit varios aduerſo 4.Æneid Sole colores. *Sed erat, qui maiorem ſtuporem excitaret GEORGIVS CARMENIENSIS Marcnita, eò fortaſſe admirabilior, quod vitam, quam alijs medicis artibus, ac prodigijs dabat pluries generoſo inter vincula, ac tormenta contemptu prodigeret, haberetque pro præmijs ipſa ſupplicia, quæ ferebat.*

A dextris.

SERGIVS RISIVS

Archiepiſcopus Damaſcenus.

Deſere Damaſcum tuam, Sergi,
Magnorum Virorum concurſus

Romam hoc anno eſt.
Eius tu Libri
Apices omnes noras,
Vbi nullus eſt apex,
Qui non ſit fidei vertex.
Ex omni terrarum ſolo
Meſſem gloriæ ſuſcepturus,
Librorum feciſti ſementem.
Quid ergo te vocauimus?
Tuorum huc meritorum
Pondere inclinabaris;
Vt in hoc Theatro quieſceres,
Quod ſapientum
Nobile centrum eſſe poteſt.

MARCVS ANTONIVS DE GOVRGES
Protopræſes Parlamenti Burdigalenſis.

Nutricem hic habiturus
Partui magno parem,
E Parente Gallia Romam venit,
Origine iuxta, & educatione
Glorioſus;
Hinc ad conſilia vocatus fuit
AB HENRICO GALLIARVM REGE IV.,
Neque tu Antonio tuo defuiſti,
LVDOVICE REX,

Illum

Illum tu Aquitanico Senatui
Principem præfeciſti,
Ereptum verò mortalitati,
Lacrymis excepiſti tuis.
Nunquid parum eſt;
In ſubditi Capitis funere
Ploraſſe Regem?

IOSEPH VELLAMINVS
Ruſſiæ Metropolita.

Quanto Prouinciæ veſtræ bono
VELLAMINVM tranſmiſiſtis ad nos,
Rutheni?
Feruido ſapientiæ ſpiritu,
Ad animorum incendia
IOSEPHI linguam animauit
Roma,
Quæ ignea mundi anima eſt.
E' Ioſepho cognoſcere licuit,
Vna incendente Roma,
Sacrorum Oratorum linguas
Ardere.
Nimirum
Ad terrarum eruditionem
Linguas accendere,
Seù Cælum, ſeù Roma poteſt.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGIVS CARMENIENSIS.

Exagitatæ diu conſtantiæ,
Nobile ſimulacrum vides.
Tercenties
Coniectus hic in Vincula,
Impiorum opera fuit.
Nonne vnius Georgij vinculis
Tota potuit mortalitas obligari?
Solitus ad ſanitatem corporum
Pharmaca propinare,
Impietatem ex animis
Profligabat.
Nulla interim ipſe lue,
Perfidiæ contaminatus.
Quam ille vitare ſolus poteſt,
Cui mixta ſapientiæ pietas
Alexipharmacum eſt.

Cælum eundem Xyſtum diceres, qui ſequentium Cardinalium purpura coruſcabat, ipſaque in aurora totidem Soles, quot capita parturiret, ſerenitatis ſimul, & eminentiæ Indices, ac ſi ſibimet dicerent: vos dicetis cras ſerenum eſt, quia rubicundum eſt Cælum.

Matt. 16 2.

PE-

PETRVS ALDOBRANDINVS.

Epigramma.

Aldobrandino Ferraria deditur vni,
Non armis expugnata, ſed ingenio.
Cedant arma togæ; detruncat corpora ferrum,
Conſilium ſeruat corpora, corda ligat.
Aldobrandinæ ſpolium eſt Ferraria mentis,
Illa ne mens? Iouis an vertice Pallas erat?

CYNTHIVS ALDOBRANDINVS.

O quæ lumina Cynthium coronant!
Taſſi Calliopea, Apolliniſque
Querengus Comes, eruditiorum
Et quantum Latium tulit virorum
Cynthi in hoſpitio manent; At Heros
In ſtrato paleis ſolo quieſcens,
Metit de paleis perennitatem
Nocturnis precibus Deum fatigans,
Et ſtellas inhians, acuminatis
Tergum nobile ſtellulis cruentat.
Semper Cynthius es, latere tentas?
En Muſæ, paleæ, aſtra te coronant?

Digitized by Google

OCTAVIVS BANDINVS.

Epigramma.

Subdio ſolum ſapientia fixit, & altum
Bandini impleuit laurea celſa caput. (vnum
Gymnas erat ſophiæ ingenijs ſatis ampla, ſed
Bandini ingenium gymnade maius erat;
Prodijt in Solem puer an Sol ipſe futurus,
Spectatore puer Sole probandus erat.

SILVIVS SABELLVS.

Nouere Galli magna quàm foret Roma,
Dum Vaticani ſplendidas vices geſſit
In Gallia Sabellus. Imò vel creuit
Roma hoſpes, ac in Siluio peregrina,
Auctumque vidit Gregori decus ſacrum:
Quàm debuit Romæ eſſe Purpura magnus;
In quo vel ante purpuram fuit Roma
Ter magna, magni nempè Præſulis digna.

BARTHOLOMÆVS CÆSIVS.

Fulminis haud iactu, pluui, ſed Iupiter auro
Iaculatus arcem Cæſiam eſt;
Sed quæ non fuerat ferro ſuperata, nec auro
Romana Pallas vincitur.

Ser-

Seruat amicitiam conſtantia ; nutet Olympus,
Romana non nutat fides.

POMPEIVS ARIGONIVS.

Epigramma.

Cui ſacra Muſarum Collegia debet Ieſus,
Qui mens, & Romæ lingua loquentis eras.
Credit inocciduo tibi ſe cum Sole Philippus,
Pompeique rogat grande patrocinium:
Maximus ille cliens, Rex idem maximus, & tu
Romæ Ciuis es, haud Rege cliente minor.

ANDREAS PERETTVS.

Epigramma.

Virginis è Templo titulos, à Virgine mores
Andreas, Oſtrum à Virgine munus habes.
A' te munus habet pretioſam Archangelus ædẽ;
Angelus ipſe tuis moribus alter eras.
In Templo Niuiũ ſitus es, tua plena Deo mens,
Quàm Niueũ Templũ Virginis eſſe poteſt.

PAVLVS ÆMILIVS ZACCHIAS.

Epigramma.

Quẽ Tagus, & Rhodanus riuali flumine laudũ
Vndarunt, vouit cui ſua Regna Tibris,

Æmilium ambiuit murex, & mitra, virumque
Sidereo Clemens ore, manuque ſacrat.
Non habet hinc Paulus Regni faſtigia? regnum
Obtinuiſſe minùs, quàm meruiſſe fuit.

FRANCISCVS DIETRICHSTEIN.

Epigramma.

Purpura cùm niueo te nomine Virginis ambit,
Induis, & titulos Muricis, & Mariæ!
Hinc Lauretana modulatus ab æde Sacellum,
Franciſce auguſta lætus in Vrbe litas.
Altiùs at templum fabricans in corde, Mariæ
Nemo litat, niſi qui cordis in æde litat.

ROBERTVS BELLARMINVS.

Epigramma.

Lutheri, Bezæque, Erebeaque Monſtra iacetis
Sub Bellarmini ſtrata Voluminibus.
Bellarminus enim ſonat arma minaſq; flagranti
Intonat ore minas, fulminat arma manus;
Virus Auernus agit cõtra; ſed auerna nequit vis
Has cohibere minas, has prohibere manus.

IOAN-

IOANNES BAPTISTA DETVS.

Epigramma.

Germina nobilium quà pomis nomina ſeruant,
Ludicra puberibus ſors dare regna ſolet.
Improba ſors Detum regno fraudauit, at illi
Craſtina regali purpura ab arce venit.
Seria, Dete, fuit tecum fortuna, negata eſt
Falſa corona tibi, purpura vera data eſt.

CAROLVS DE COMITIBVS.

Epigramma.

Carolus ad Rhodanũ Cauarũ laxabat habenas,
Cùm ſacra Palladio purpura miſſa Duci eſt.
Palladio Princeps creuit ſub Principe Pallas,
Creſcat io mecũ Gallia ait Rhodanus. (rum,
Nõ mihi mira venis Comitũ ſacra purpura, mi-
Ni duodena premat grande Tiara caput.

BERNARDVS MACZIEAVVSKI.

Epigramma.

Reginæ Superum qui nomina prima dederunt,
Quatuor ambiuit purpura Parthenios.
Primũ at Partheniæ Caput, & Diadema iuuentæ
Bernarde à magna Virgine præficeris.

Digitized by Google

Regibus æquauit te purpura, ſeruus haberis,
Regale Imperium Virginis obſequium eſt.

INNOCENTIVS DE BVBALIS.

Epigramma.

Sapientum cui Roma nutricem dedit;
Vberaque larga ſiderum immulſit Deus;
E' flore raptum purpuræ è patriæ ſinu
Pullata Roma fleuit Innocentium.
Sibi innocentes innocens Cælum rapit;
Breuis Innocentiæ mora in terris datur.

ERMINIVS VALENTIVS.

Epigramma.

Lumina cui debet generoſa Fauentia, raptum
Erminium flerunt Vmbria, & Æmilia.
Impar exequijs erat Vrbs lacrymoſa ſepulcrum:
Extra Vrbem ſitus eſt Virginis ad lacrymas.
Aſtra ſuper tumulũ duo ſunt inſculpta ſepulti,
Ad tumulum Solis ſidera flere decet.

HIERONYMVS PAMPHILIVS.

Epigramma.

NERIVS interpres ſuperumq; Deiq;, ſacrabit
Sacra, ait, Heroem Purpura Pamphilium.
Hinc

Digitized by Google

Hinc Orbē amplexus, meritiſq; Vicarius Vrbē
Pamphilius magno maior in imperio eſt.
Non dat parua Deus, quæ *Nerij* ab ore refulſit,
Purpura Pamphilio Numinis ore data eſt.

FERDINANDVS TABERNA.

Epigramma.

Cui Picenus ager faſces, & regia mundi
Prætori ſolium maxima Roma dedit.
Quid Fernande duos in ſidera bina catellos
Erigis? an Cælum præda futura tua eſt.
Falleris: haud rapies, rapieris vt alter Orion,
Sydera venaris, tu quoque Sydus eris.

SCIPIO BVRGHESIVS.

Epigramma.

Aurea Chryſogoni Domus, & Domus inclyta
Virginis,& Magni Regia Gregorij: (Claræ
Calliſti ſpecus, & templum auguſtale Sebaſti,
Et centum in templo millia Cælicolum,
Scipio vos ornat ſua ſydera, Scipio quantus,
Sydera vos centum millia ſolus habet!

LV-

Digitized by Google

LVDOVICVS DE TORRES.

Epigramma.

Inuehat, vt Clemens Romæ cæleſtia morum
Sydera,Clementi proxima Turris adeſt.
Hinc pietas enſes, clypeoſq; & fulmina ſumis,
Relligio premis hinc tartara, & aſtra rapis.
Aut Cælũ, aut Armamẽtaria Turris Olympi es,
Fulmina Turris agis, Sydera Turris agis.

IOANNES GARZIA MILLINVS.

Epigramma.

Thebana bella, & vindices fratrum minas
Hinc Cæſaris germanus, hinc Cæſar tonat,
Auſtriaque ſciſſa pendet è Romæ ſinu;
In odia, & arma media Millinus volat.
Deſignat alterum, alterum ſeruat,duos
Millina Pallas Cæſares mundo dedit.

Qui in alium Xyſtum greſſus flexiſſet, MADRITVM ſuſpexiſſet, quod quia pro ciuibus Populos, pro Prouincijs Regna numerat, pro pomo non vnum, ſed geminum Orbem dextera ſuſtinet, ipſoque totius Hiſpaniæ in centro ſitum, tanti corporis vmbilicus potiùs eſt, à quo vterque vitam accipiat; ac tunc maximè plures Philippos ſortitum Reges eos Orbes, quos Alexander ſomniabat, præ oculis, ac manibus habet.

Quiſ-

Quiſquis Madritum hìc ſuſpicis, Cor Hiſpaniæ plenum animæ magnæ venerare. Hìc arctatur Maieſtas, quam Mundus vnum non capit. Hìc Gymnaſium floret, quod MARIA fundauit IMPERATORVM FILIA, CONIVX, PARENS: QVARTVS verò PHILIPPVS REX Optimus ſcientijs, hoc eſt anima informauit. Aptè per Hiſpanienſem Regiam hoc aditur Collegium, quo ne Roma careret, Ignatium Romæ dedit Hiſpania.

Vno quaſi agmine pro Triarijs ſequebantur SIMON MAIOLVS Vulturarienſis Epiſcopus multiplici eruditione penè Vertunnus, ac Protheus. FREDERICVS FORNERIVS Bambergenſis Epiſcopus Suffraganeus, ſed omnium quoque ſuffragijs, ſuiſque calculis inter ſapientiſſimos aſcribendus. PETRVS ARCVDIVS Corcyrenſis, Zelo atque eloquio inter Ruthenos Elias alter, igneoque calamo ſuo, fulmine ne dum gladio in Catholicæ fidei hoſtes vindex inuictus, ac Victor. Huic ne diſpar ARCHANGELVS MERCENARIVS foret, pro Paradiſi foribus verſatilem ſtringens gladium ambidexter videri potuit, ac ſolius diuinæ gloriæ in tuenda Philoſophiæ porticu Mercenarius.

A dex-

A dextris.

SIMON MAIOLVS

Epiſcopus Vulturarienſis.

Quàm opportunus ades, Simon,
Dies hic agimus ſeculares, &
Caniculares,
In hoc literatorum conſeſſu,
Potes antiqua ſtudia renouare.
An miracula deſideras,
Quæ calamo prodigioſo deſcribas?
At vnus tu non dees, qui
Sæculi noſtri prodigium es.
Ob ſacrarum Imaginum cultum,
Sæcula omnia cognouiſti,
Ne vlli ſæculo deeſſes,
Omnium vtilitati natus.
Ades & ipſe in hoc Heroum Theatro
Libentèr ſpectandus,
Cuius beneficio calami
Habent Poſteri,
Quod Diuorum Imagines libentiùs adorent.

PETRVS ARCVDIVS.

Quantùm huic Alumno tuo
Debes, Corcyra?

A qua

Digitized by Google

A qua tantum famæ
Habuiſti?
Donatus laurea Petrus fuit,
A fundato Græcorum Collegio
Primus.
Tum Ruthenis adfuit verbo;
Græcos verò libris iuuit.
Pedum vſu captus,
Diu ſedi affixus vixit,
Sed neque ſedendo
Nouerat otiari
Negotiator gloriæ ſempiternus.
Otia nempè ſapientum
Negotia gloriæ ſunt.

A dextris.

FEDERICVS FVRNERVS
Epiſcopus ſuffraganeus Bambergenſis.
An hinc excludi Federicus poteſt?
Sapientiæ Capitolium
Nulli meliùs,
Quàm ingenijs triumphalibus patet.
Librum hic emiſit,
Quem Palmam triumphalem dixit.
An ingenium triumphale non fuit,
E quo prodierunt Palmæ.
E fortunato germine

Hos decerpſit
Præcoces gloriæ fructus,
Maturiores ſubinde decerpturus:
Et quid expectare poſſit
E' triumpali Palma,
Niſi matureſcentis gloriæ
Perpetuam autumnitatem.

ARCANGELVS MERCENARIVS.
Te quoque
In hanc lucem pompæ ſæcularis
Tua merita reuocarunt,
Archangele,
Ipſa etiam atramenta,
Lucem dare didicerunt
Authore te,
Cùm elucidationibus tuis
Illuſtraſti Philoſophiam.
Quantum inde lucis hauſit
Gymnaſium noſtrum?
Eam Tibi rependimus.
Fruere igitur hac luce noſtra.
Iure meritoque ſuo
In luce literatorum viuit,
Qui vixit in luce ſapientiæ.

Poſuerunt Hieronymus Buſſius, & Io: Andreas Oliuerius Sem. Rom. Conuictores.

Quin-

Digitized by Google

Quinque Arcus, qui in Ambulatione meridiano Soli aduerſa ſequuntur, habuere ad latera feneſtrarum, nullæ enim in hac Porticu Scholarum fores, VRBANI VIII. P. M. egregiè, aut dicta, aut facta numiſmamatum inſtar Symbolicorum expreſſa. Quibus laudandis cùm ſolus par eſſet, qui pronunciauit, aut geſſit, ſingulis nummis Verſus, aut Latini, aut Itali, aut Græci ſymbolis accomodati ex Libro Poëmatum Maphæi Cardinalis olim Barberini adſcripti.

Arcum vndecimum adornabant Hiſpaniæ Ciuitates tres

HISPALIS, VALENTIA, CÆSARAVGVSTA.

Quod antiquæ ſapientiæ relegis hac tempeſtate veſtigia MARCO ANTONIO DE ALFARO, alijſque Ciuibus tuis, Hiſpalis, debes celebris Collegij Conditoribus. Valentini Auctor fæmina, ſed Viris magnanimitate non impar DVX MANDENSIS. Cæſarauguſtani LVPERTIVS DE ARBICO S. Ioannis Eques, & Commendatarius digna Cæſare Auguſto magnificentia.

Primæ feneſtræ in latere ſeſe Veritas *obijciebat, Palladis inſtar armata, vel cùm inermis ſe ſola circumdata,*

data, ac ſemper illo indicio atque elogio Victrix: Veritas vincit: *in clypeo tamen ſua pro Gorgone, ac Meduſa Serpentino pro capite Solem præferebat, quo dum hoſtes, ac peſtiferos angues in lapides vertit, totidem ſibi ſimulacra, atque Arcus erigit ad triumphos: in eo quoque Soli ſuo ſimilis, quod non vnam Memnonis ſtatuam, ſed montes ipſos ſuo lumine ſoluit in laudes; Niſi illæ etiam ſint, quas idem Vrbanus Præcurſoris Sanctiſſimi in obitu, & quaſi in Veſpere elegantiſſimæ odæ cantibus, ſeu potiùs fletibus voluit parentare, & in Vrna tributarias quaſi lacrymas effundere.*

Quia Angelicum Panem, ideſt Manna Arca aſſeruauerat, opportunè etiam iſta ſeſe obuio occurſu dabat è regione: cui propè erat Goliatenſis pro voto atque anathemate appenſus: indicabat eadem falce noxias, & proficuas demeti fruges; Gedeonis quoque exēplo, cuius Gladius anteà, vt Panis Madianitica Caſtra ſubuerterat. Vt tamen meliùs melleus hic Panis, ac Manna ſimilis illuceſceret, eiuſdem monſtri quaſi Sampſonis in Leone apes nidificabant, quod vt ferrea bella tanto ſub Pontifice vti ſub Regijs apibus à Catholicis Regibus domita, totque victorias partas ijs debebat Europa, quas ſuo viderat à Tauro naſci ſimul ac parere tamquam ſi cum Vate diceret:

Ouid. Faſt. Pro Boue mille animas vna necata dedit.

Poſt ſubiectos, edomitoſque Errorum colubros, quia eſuries, & fames locum habet, benè Horrea ab eodem

eodem Vrbano apud Thermas extructa caput attollebāt, vtpotè quæ Vrbanæ charitatis opera caritatem Annonæ in paupertatis ſubſidium ab Vrbe depulerant. Nec vt miſer ille diues, horrea ad exuberandas meſſes diſruperat, ſed condiderat ſimul, & aperuerat; didicerat enim, & docuerat Tarquinij Tiranni meſſibus in Inſula Tiberina coaceruatis, nauis figuram, ac molem erectam; Petri verò nauiculam prouidi Pontificis iactura inediæ ereptam è naufragio.

Quod verò propè effloreſcebat, vernabatque Roſarium, *quia ſpinas habebat, apes ſuas imitabatur aculeis ad bellum, fauis ad pacem instructas, & vnde roris lac exugunt, inde quoque arma, ſed ſemper ad ſæpem, atque cuſtodiam Purpuræ, ſanguinem non niſi ab hoſtibus expreſſura. Ipſaque in aurora Solis prænuncia. Regnantes quoque præmonebant breuitatis, ac mortalitatis ſuæ, qua humana felicitas in ortu, & in occaſu exereſcit, ac deficit.*

AD LATERA FENESTRÆ.

A dextris.

Veritas *non fuco corrupta, aut medicamentis adulterata, ſed Palladis haſta, atque ægide armata, in cuius tamen vmbone nullum Meduſæ caput, Sol tantùm expreſſus.*

Sed

Sed licet luceat ; Solis hic fons luminis,
Splendet, & irradiat
Cælo ſidereos globos,
Terrarumque plagas, & Maris æquora;
Talis crinibus aureis,
Fronte ſerena,
Formoſiſque genis, oculiſque micantibus, vllo
Non corrupta fuco Veritas coruſcat.

Ex Ode de S. Ioanne Baptiſta Maph. Barberini poſteà Vrbani VIII.

HORREVM IN QVIRINALI MONTE *exædificatum*.

Plaude Sion cæli Domino, lætàque perennes
Voce tuo laudes, Vrbs cane ſacra Deo;
Quippe tuas valido portas in cardine firmat,
Et natos in te fulcit; & auget ope.
Atque tuos fines ſecura pace tuetur,
Teque mero ſatiat, triticeaque dape.

Ex Paraphraſi in Pſal. 148. *Maph. Barb.*

A ſiniſtris.

Arca veteris Teſtamenti hinc Goliat gladium, inde Galeam examen Apum emittentem habens, latus nimirum Principum melius amore, quàm enſe tegi ſignificabat.

Sic

Sic Populorum
Munit amore latus, non enſe, aut militis haſtis.
Ex Ode de S. Ludouico Maphæi Barb.

ROSETVM

Inanis pompæ, & humanæ felicitatis vera imago.

Ὀλβίζεις ὅπλοις ἄρχον φρουρούμενον; ἄνθει
Ὡς ῥόδον: ἀμφοτέρων κῦδος ἐφημέριον.

Idem ex Græco.

Vt felix colitur ſeptus Rex milite! floret
Ceu Roſa vtriq; rapit quæ dedit hora decus.

Ex lib. Epigram. Maph. Card. Barb.
Poſuit Ioſeph Sala.

In Arcu Duodecimo erant.

GRANATA, SASSARIS, CALARIS.

Quatuor Vrbes Vrbs vna complectitur Granata, hanc Vrbium Orbem, vt ſcientiæ præſides moderarentur eius Archiepiſcopus iuſſit PETRVS GVERRERVS. At prudens in Sardinia CALARIS ipſa ſibi proſpexit doctrinarũ Collegium ædificando. Saſſaritanum verò iam ante ANTONIVS CANOPOLVS Oriſtanenſis Archiepiſcopus, & GASPAR VICVS perpetuò poſſidendam Apollini, Muſiſque conceſſerant.

Quia

Quia Pontifex in Vaticano Templo ſuis Cineribus tumulum daturus erat, in primo numiſmate Diui Petri ſepulcrum vſque ad delitias ſuis floribus, atque apibus exornabat, ſi mortis Vrnam dices, in qua Petrus, ac Paulus nauigemino pro Caſtore ſunt, eaque Epigraphe non Cycni, ſed Columbæ filij accumbunt: Ornato SS. Petri, & Pauli Sepulcro.

Numquam magis Vrbanus anguſtias paſſus, quàm cùm Capuccinorum pauperie coactus, Templum illis non pro animi ſui munificentia condidit; & quia Virgini Conceptæ ſacrum, illius etiam humilitatem reſpexit, quæ licet omnium Regina, ancillam ſe prætulit; & quod maculoſo marmore præſtare nequijt, candido ſaltem illius puritatem voluit æmulari.

Ne Veteris Vrbis Portus minùs tutam præberet Stationem, ſui muneris, vtpotè Naucleri, Vrbanus duxit, illum opere ſolidiore perficere, ſatis dictum ratus ſi hic illam epigraphem incideret: Nunc re perfecto. *Qui, quia Traiani, & ad Centumcellas dictus Portus Optimum Principem vincere voluit, cum apes ſuas ad ædificium excitans, addere potuit:*

Virg. Georg 4 Diſtendunt nectare cellas.

Qui verò pluſquàm Oreſtis furijs agitatus Rex videbatur, Saul erat pluſquàm Tigris rabie efferatus, qui Dauidis in Cytharam vibrata lancea ſauiebat: quo in ſimbolo ſicut Tyrannorum in literas dirum odium, ita harum pius amor exprimebatur, qui ſuis ſonis, ac can-

Digitized by Google

cantibus infernas Furias fulminaret: Nuſquam tamen hoc aptiùs monitum, quam & in Gymnaſio, in quo non minùs vitia à virtutibus expelluntur, quàm Orphei arte, ab orco ad lucem Ingenia reuocantur.

A dextris.

Princeps Ara Baſilica S. Petri cum vmbella, & quatuor columnis æneis coronabatur his verbis:

ORNATO SS. PETRI, ET PAVLI SEPVLCHRO.

Hinc liberali ſpargis opes manu,
Siue Altaria conſtruis,
Seu Sacras reficis Domos.

Ex Ode S. Ludouici Maph. Barb. poſtea VRB. VIII.

Portus ad Centumcellas cum hoc lemmate:

NVNC RE PERFECTO.

Vrbanus perfecit opus, quod cæperat ante,
Fruſtratus voto ſumptus, & arte labor.

Ex Inſcriptione Portus Traiani ad Centumcellas.

A ſiniſtris.

Templum PP. Capuccinorum his verbis appoſitis:

BEATÆ VIRGINI CONCEPTÆ.

A tanto annuntio tu Real Donzella
Conſenti, e ti offri oſſequioſa Ancella:

Digitized by Google

Queſto fù il nodo marital, che à Dio
Ti fè diletta Spoſa:
Quando al candor di Vergine amoroſa
Di Madre in te fecondità s'vnio:
Foſti ab eterno eletta
E ſenza macchia original concetta.

Nell'Epodo 1. ſtrof 2. dell'Hinno della B. Verg. del Card. Maffeo Barberino.

Dauid Saulis furorem fidibus temperans, quos non non minùs literæ, quàm Lyra ſedare poſſunt.

Fallor an ex animis laſciui carminis ardor
Aufugit, & morum tabida peſtis abit?
Sic malus è Regis narratur corde Saulis
Spiritus expulſus corripuiſſe fugam.
Dirige iam dociles digitos Ieſſæa propago,
Dum mea dextra tuo pectine pulſat ebur.
Itala tu mecum pubes cape nobile plectrum,
Et monſtrum Iſacia perge fugare Lyra.

Ex Elogia primæuo decori reſtituenda Maph. Barb.
Poſuere Petrus Spoturnus, & Iulius Pallearius Acad. Parth.

Implebant Arcus XIII. Spatium inauditi apud antiquos Geographos nominis Vrbes

Digitized by Google

LIMA, MEXICVM, MANILA.

Ne Peruuia ditior eſſet auro quàm Sapientia, Limenſe Collegium IOANNES MARTINVS REMGIFVS condidit. Mexicanum in noua Hiſpania inſtructum fuit, nè ipſa veteri Complutum, aut Salmanticam inuideret. At in Philippinis Manila STEPHANVM RODERICIVM DE FIGVEROA celebrat tam largum Principem in Collegio fundando, quàm in fundendis Hoſtibus fortem Ducem.

Primo in numiſmate Roma omni meliori metallo ſeſe promebat expreſſam: Veteri in hoc auguſtior, ac ſanctior, quod non Iani ad reſeranda bella, ſed Vaticani Templum manibus ſuſtineret, ijs ſcilicet, quæ Claues habent. Vbini Principatum Petro redditum, atque aſſertum Epigraphe indicabat: Aucta ad Metaurum ditione, *quia ciuili ſine ſanguine illa eadem è quercu ciuicam promeritus, cui Pacis oleam inſeruit, & pro glandibus, ſuis apibus fauos. Quæ huic Comes, ſeù potiùs Præſes adhærebat; Iuſtitia erat cum gladio, ac Libra, vel quod vera Aſtræa, ac Virgo è Cælo redux arma ipſe perpendere debet, vel quod non illi vis, ſed ius præ oculis, ac manibus eſſe. Nec Epigraphe aliud edocebat:* Pax in Virtute tua: *ac ſi diceret: Iuſtitia, &*

Digitized by Google

Pax oſculatæ ſunt, cæleſti ſanè connubio, à quo vtraque viuat, ac vincat.

Vt Pacis Tabernaculo bellica arx ſuis tubis, ac tympanis adſonaret, aſſurgebat non minus ad obſequium, quàm ad præſidium Hadriana Moles, ab Vrbano varijs, validiſque munimentis inſtructa, ac ſi ab eiſdem Cæſareæ Aquilæ cineribus Pallas Phœnicis inſtar emergeret: ac Michaëlis Archangeli ſub haſta hoſtes fortiùs fulminaret.

Ne tantæ, ſupremæque Poteſtati vana gloriæ ſpiritus obſit, in numiſmate quarto viſebatur Nemus ingens incendio totum depaſtum, deuorante non minùs alta cacumina arborum, quàm humiles ſentes, & herbas, illud idem monens, quod mortis falx, quæ quia nemini parcit, flores, atque herbas non ſeligit cùm demetit, atque in Orbem ſæuit. Hìc quoque eiuſdem Vrbani poëticus luſus fuerat Neronis cantu ſalubrior, quod ſuo incendio Romam ad mortem ſimul, ac vitam inſtrueret.

A dextris.

Romæ effigies Mineruæ ſimilis, Vrbinatem agrum Templo D. Petri, quod geſtabat in manu, recuperatum ſignificans hiſce vocibus:

AVCTA AD METAVRVM DITIONE.

Reſtituit pietas almo Crucis auſpice ſigno,
Veraque Relligio victrix dominatur in Vrbe,

Quæ

Quæ Vaticano figens in vertice ſedem,
Imperij latè fines, cultumque propagat.
Ex Poëmate de Mundi Imperijs Maph.Barb.

Moles Hadriani nouis propugnaculis cincta, & circum illam hæ voces:
INSTRVCTA, MVNITA, PERFECTA.

Non validis inimicus agger
Munitus armis, non ratibus mare
Vires adaugens,
Non terret illum quæ volat horridis
Hinc inde pennis plurima cædium
Globis in ignitis imago,
Seu rapidis ſaliens ab vndis.
Ex Ode ad Aurelium Vrſum Maph.Barb.

A ſiniſtris.
Iuſtitia hinc gladio, inde libra inſtructa cum hac epigraphe:
PAX IN VIRTVTE TVA.
Otium
Fontem malorum claudit, & amouet
Luxum criminis illicem:
Iuſtis præmia diuidit,
Prauoſque pœnæ corrigit timore.
Ex Ode de S. Ludouico Maph. Barb.

Ne-

Digitized by Google

Nemus ardens, cuius flamma cineres Quercus humilis Myricæ confundit, docet ignotos extrema die æquari inſignibus.

Ignotos extrema dies inſignibus æquat;
Ingentem ſubitus ſiluam cum corripit ignis,
Confundũt cineres quercus, humileſq; myricæ.

Ex Poëmate ad Laur. Magalottum Maph Barb.
Poſuit Lazzarus Spinula Sem. Rom. Conuict.

Arcum XIV. occupabant tres Nobiles Galliarũ Ciuitates

TOLOSA, MVSSIPONTVM, TVRNONVM.

Toloſanum aurum ab infortunio famoſum ominis melioris auro commutare decreuit Vrbis nobiliſſimæ SENATVS: doctrinarum ergo Collegium, hoc eſt, ſapientiæ aurifodinam inſtituit. Turnonenſe Gymnaſium FRANCISCVS CARDINALIS A TVRNONE Galliæ Primas, vt arcem Fidei erexit. Muſſipontanum geminis debetur CAROLIS A LOTHARINGIA Caroli Magni poſteros ſe probantibus.

Omnium penè admirationem exhauriebat Diuæ Martinæ *Templum ab* Vrbano *prouida munificentia* e.:ci-

excitatum. Nec miſterio carebat ſitus eiuſdem Capitolij ad radices, Vt inde fortiſſima Martyri palmarum ſilua pubeſceret, quæ Martem vti Victoriæ ſuæ ſpoliũ ferebat in nomine, quod diſiectis Idolis, ac fortiſſimo turbine vel in obitu de Ioue ipſo, cæteriſque falſis Numinibus triumphauit.

In tertio verò haud minùs loquebatur aliud Diuæ Bibianæ Templum erectum, in quo cùm prudentem Virginem, vel in lapide dormientem videris diſces, ſomnum mortis Imaginem potuiſſe illam ad vitam animare; Ea tamen in regione, quæ Vrſus dicebatur pileatus, ſideream coronam à noua Aſtræa, ac Virgine fuiſſe relatam affirmabis.

Parùm erat Domi, atque in Vrbe ſecuritatis, niſi etiam fortiſſimo munimento Romanæ ditionis in finibus cæteris incurſionibus iugum, ſeu frenum obieciſſet, Vrbani nomine inſignito, ac ſi diceret, quod Cæſaris olim Cerua ſuo in torque: Nemo me tangat, *& ipſa Piſcatoris non arenoſa, ſed ſaxea ad retundendas tempeſtates pro ſcopulo ſit; nec muta, & elinguis, cui epigraphe ita linguam ſoluerat:*

SECVRITAS PVBLICA.

Ne crederes Vrbani Nauarchi ſolertiam ad vindictam, ac bellum Petri Nauim inſtruxiſſe, non quidem illam igneas pilas euomentem vidiſſes, ſed aquarum vndique turbines depluentem. Neque enim incendia amabat, quæ nonniſi fluctus ſecum vehebat, vt illa extin-

gueret

gueret. Apum hoc quoque beneficium erat, quæ Arethu-ſæ fontem dum traijcerent vna cum illa, dulci murmure accinebant:

Virgil. eclog. 10 Doris amara ſuas non intermiſceat vndas.

A dextris.

TEMPLVM S. MARTINÆ

Ad radices Capitolini Montis.

Martinæ ſacri Cineres, quos condidit olim
Concluſos humili fictilis vrna loco,
Vos flexis veneror genibus, doleoque tot annos
Ignotum veſtrum delituiſſe decus.
Obſequium, Martina, mei ne deſpice cordis,
Digniùs vt poſthac te tua Roma colat.
Hanc tibi pro meritis aram, ſtatuamque dicaui,
Sub qua marmoreus contegit oſſa lapis.
Bellonę auſpiciũ falsũ, Martiſq; peremptum eſt,
Tu nos cara Deo conciliare potes.
Hoſtiles pereant motus ad nominis omen,
Da nobis pacem, da requiete frui.

Ex Lib. Epigr. Maph. Barb.

Arx Vrbani non procul Bononia cum hoc lemmate:

SECVRITAS PVBLICA.

Armorum ſtrepitus noſtris procul eſſet ab oris,
Hic

Hìc te Chriſticolæ tenent,
Vt ſis certa cadentium
Tutela rerum.

Ex Adhortatione ad bellum ſacrum, & Ode de S.Ludouico Maph.Barb.

A ſiniſtris.

TEMPLVM S.BIBIANÆ.

Flos ò Quiritum candide Virginum,
Cæli decus, lux fulgida Martyrum,
Quas ornat effuſi cruoris
Purpureum, Bibiana, tegmen,
Votis fauentem Romula te vocat
Pubes: malorum comprime turbines,
Adſteſque dum Chriſto litantes
Thura tuis adolemus aris.

Ex Hymno S. Bibianæ Maph. Barb.

Nauis ad radices Collis Hortulorum varijs tubis aquam fundens.

Bellica Pontificum non fundit Machina flãmas;
Sed dulcem, belli qua perit ignis,aquam.

Poſuit Iacobus Airolus Sem. Rom. Conuict.

Erant in Arcu XV.

AVARICVM, BITVRICVM, FLEXIA.

Vixiſti citra ætatem, non citra gloriam

Galliarum REX HENRICE Magne, adhuc viuis in Flexienſi Collegio à te fundato, vbi cor tuum eſſe voluiſti; cor illud, quod ſtetit vnum omnia contra tela hoſtium, & fortunæ. Bituricenſe verò CIVITAS condidit, eiuſque Ciuis Primarius IOANNES NIQVETIVS, & HENRICVS BORBONIVS CONDÆVS Princeps acceſſione Theologiæ auxit.

Vt ſimbolum illius ſerenitatis, ac malaciæ, quas Innocentia in animis parturit, primo in numiſmate, tranquillo in mari Iris diſcolor arridebat, ac ſi iſte Arcus eſſet fœderis contra Cælorum tempeſtatum illuuies, illa Alcionis nidus contra tempeſtates æquoreas; ac dici Olympicus vir ille, vt Pericles meritò poſſit, qui omnium elementorum prælia ſub pedibus habeat.

Vt ſecundo in numiſmate falſo crimine obruta lacrymas ad pietatem Suſanna euocabat, ita oculos ad voluptatem ſollicitabat dilapidata calumnia, & quidem in ſenibus, quaſi illas inter capitum niues Iuſtitia vſque ad purpuram erubeſceret.

Ne quis ſpecie ſe decipi ſinat, circùm fraga humi naſcentia, oſtroq; ſuperba angues pro ſepe tendebant inſidias, ac ſi vel ſub minimis hiſce crepuſculis noxia lateat nox: ſemperque humanus oculus, vel in vaniſſimis atomis præſtare excubias debeat.

Noſtris inanibus deſiderijs, ac laboribus optimè

in

Digitized by Google

in tertio Canis oblatrabat, qui, vt vmbram in flumine expreſſam expiſcaretur, carnis prædam, quam in dentibus habebat, amiſit. Venator inſanus, ac cæcus pro veris inania ſectabatur, ac fluxa pro firmis inſequebatur.

A dextris.

Mare pacatum cum Iride, quibus Innocentis Cordis tranquillitas adumbratur.

Abſque motu conquieſcat vnda cærula,
Summa nautis pacet æquor vitreum pellacia;
Ambiat diffuſa cælum quantauis ſerenitas;
Vna Cordis innocentis maior eſt tranquillitas.

Ex Trochaico de placida animi recti quiete Maph. Barberini.

Anguis inter fraga latens. Nocet enim non rarò quod allicit.

Solet nocere ſæpius quod allicit;
Parens ſit Eua teſtis.

Ex vanitatis fuga Maph. Barb.

A ſiniſtris.

Suſanna opem Numinis implorans, ſalaceſque ſenes lapidibus obruti, ſacrum calumniæ ſymbolum.

Blanda probri machinatrix, fæda fraudis artifex,
Dira criminis miniſtra, cæca dux iniuriæ

Nil omittit, aut recuſat aggredi, quod expetit;
Teſt is eſto tu Suſanna, quam Senum mendaciũ
Iam locauerat pudendæ mortis in diſcrimine;
Tu peroſa mentientes pulchra proles tẽporis?
Deferens faces micanti luce falſum eliminas,
Ore quippe cùm virili Veritas prodis palam,
Labis expers vita, cunctis maior eſt calumnijs?

Ex Trochaico in calumniam Maph. Barb.

Canis, qui prædam in amnem excidere pàtitur dum vmbræ in aquis expreſſæ inhiat, ineptire mentem cæcam, & amorem ſui faſcinum cordis eſſe doces.

Amor ſui cor faſcinat;
Mens cæca ineptit. Vſquequò fugacia
Somnia diligimus,
Et quærimus mendacium?

Ex Via ſalutis ardua Maph. Barb.
Poſuere Nicolaus, & Antonius Maria Piroti Acad. Parth.

Huius Ambulacri interiorem columnarum frontem adornabant ſolæ Imagines Barberinorum

FR. ANTONIVS BARBERINVS
Cardinalis S. Honuphrij Vrb. VIII. Frater.

Epigramma.

Tu quoq; Romanæ pars Gymnadis optima, ma-
Cum magno, Antoni, ſidere ſidus eras. (gnũ

Sol

Sol erat Vrbanus, tu ſtella ſimillima Soli,
Non Sol alter eras, purpura Solis eras;
Proximus Vrbano es? Lux ille eſt publica mūdi,
Laus erit Vrbani prima, ſecunda tua eſt.

FRANCISCVS BARBERINVS
Cardinalis Vrb. VIII. Nepos.

Epigramma.

Mundi pondera portat, & nouenos
Vnus bis ſuperat ſuperſtes annos,
Et plures ſuperabit vnus annos
Vrbanus Pater; hos Atlantis annos
Alcides renouaſque proſperaſque
Franciſce, aſſiduus tumultuoſi
Mundi pondere, qui leuas parentem,
Et Romæ feris, ac metis quietem.
Non durant violenta, non perennat
Vis armata Neronibus, cruenti
Iouis fulmina non manent; Poteſtas
Iuuandi ardua, & ima ſempiterna eſt.

ANTONIVS BARBERINVS
Cardinalis Vrb. VIII. Nepos.

Epigramma.

Quātus es Antoni, cui Roma eſt paruula, qui dū
Montibus Vrbis ades, mœnibus Orbis ades.
Quem

Quē non Roma capit, capient hæc Atria? noſtro
Vt capiare ſinu, factus es ipſe minor.
Nec minor ipſe, baſis nos creſcimus infinita;
Tu noſtro tamen in corde coloſſus eris.

CAROLVS BARBERINVS
Pontificij Exercitus Imperator, Vrb. VIII. Frater.

Epigramma.

Carole luce cares, ne res Romana careret
Præſidio, vitam non tibi Roma refert?
Pars eſt Roma tui, voluiſti viuere Romam?
Viuit, & vt viuas ſe tibi Roma refert.
Non potes ergo mori; dū Sol animauerit Vrbē,
Carolus Vrbano Sole ſuperſtes erit.

IO: DONATVS BARBERINVS
Vrbani VIII. Frater.

Epigramma.

Cui Latiæ charites, & Græca volumina cordi,
Cui rerum cauſas noſcere cura fuit:
Figit in Aſtra gradum, metamq; Deumq; petenti
Donato faciles Aſtra fuere gradus.
Aſtra ſuper, Cælumq; ſuper, ſuper vltima Mūdi
Mœnia currenti quid niſi meta Deus?

LAV-

LAVRENTIVS MAGALOTTVS
Cardinalis.

Epigramma.

Laurea cui virtus, cui diuitis aurea linguæ
Copia, cui regnum nobile pectus erat.
Mortis in articulo ridens cæleſtia magnis,
Laurenti, legas munera Principibus.
Ad cælum inuitas, namq; ipſe potitor Olympi,
Nonniſi Rex alijs Regibus aſtra dares.

THADDÆVS BARBERINVS
Vrbis Præfectus Vrb.VIII. Nepos.

Epigramma.

Vrbi præficeris, ſuccedis in arma Parenti,
Mellea,Thaddæe, inter bella laborat Apis?
Miles in Æmiliæ felicia rura ruebat,
Prædo futurus erat, ſed tibi præda fuit.
Vertitur vltrices clementia mitis in iras;
Fert mel in ore Leo; ſed tamen ille Leo eſt.

NICOLAVS BARBERINVS
Vrb.VIII. Frater.

Epigramma.

Humana bellum eſt vita, Victorem ſonat
Te Nicolaë nomen; Vrbanus tibi

Vexil-

Digitized by Google

Vexilla, & arma charitatis expedit:
Hinc Victor armis, Aſtra bellator ſubis.
Quid ni triumphes Nicolaë? Maximus
Vrbanus arma, Lauream Cælum dedit.

Nobile hoc Apum examen verè ſuo in Collegio Romano fauis eſt operatum.

Ne tamen omnium compendium deeſſet, inſequentem Arcum, dum Pariſios ſuſpendebat, Archimedis artem, ac Machinam æmulatum dixiſſes in qua Terræ, Cælique vertiginem vnuſquiſque ſuſpiceret, & quod vnius eſt Hominis Microcoſmus, niſi magnum animo, ſtudioque complexus, Parui cognomentum ſpernens, ad maiorem ſe verteret.

LVTETIA PARISIORVM.

Quis in Galliam è Græcia migraſſe putet Athenas, & tamē Pariſienſe Gymnaſium à Claramōtano Epiſcopo GVLIELMO A PRATO fundatum, Athenienſem Porticum, Academiā, Lycæum non deſiderat. Hic ergo Societas nondum Societas didicit, quod Orbem terræ doceret. Opportunus per Gallicam Regiam ad Templum patet acceſſus, vt enim Sacrorum cultum, & frequentiam perſuaderet, Ignatium Romæ Gallia erudiuit.

Manum

Digitized by Google

Manum ſibi mutuò dabant duo inſignes Romanâ Rotæ Auditores ALEXANDER BVCCABELLA Romanus, ac IOANNES BAPTISTA REMBOLDVS Germanus, quorum alter Theologicis facultatibus pollens Sanctæ Inquiſitionis in cenſura diu exercitus, ea in Rota aſſidère meritò debuit, in qua maximarum rerum cauſæ, ac vota verſantur; alter legum peritia, ac praxi munitus vtriuſque Iuſtitiæ enſem, ac libram alternare optimè calluit: Vterque Principibus carus, ſed ſupremo Iudici carior, à quo præreptam in terris coronam in Cælo perciperet.

A dextris.

ALEXANDER BVCCABELLA

Sacræ Rotæ Romanæ Auditor.

Qui vultum Alexandri vides,
Agnoſce Romanum Areopagitam.
In eorum hìc Iudicum cætu ſedit,
Qui lites audiunt Vniuerſitatis;
At inter diſſidia litigatorum
Eam ſeruare pacem nouit,
Quæ grandes animas decet;
Quas pares Olympo
Nulla tempeſtas quatit.
Negotiorum oppreſſus mole,
Ferendo cæteroqui Cælo par,

O In

In mortem ſuccubuit Atlas magnus.
Quæ tunc Romæ cura fuit,
Cùm debuit Atlanti tanto
Parem Herculem ſubrogare?

A ſiniſtris.
IO: BAPTISTA REMBOLDVS
Sacræ Rotæ Romanæ Auditor.

Hic etiam in ea Rota ſedit Auditor,
Quam ſiſtere
Vnus Iuſtitiæ clauus poteſt.
Ad aureas Aſtreæ lances
Examinare ſuffragia conſueuerat
Nè Iuſtitiam exanimaret,
Cuius anima
Iudicis integritas eſt.
Vt iniqua rogantibus obmuteſceret,
Obſurduerat auro.
Malè quippe apud omnes audit
Nimium bonus auri auditor.
Nunquam inclinatum in noctem
Habebit diem, cuius Libram
Nunquam aurum inclinauit.
Poſuere Hieronymus Ginus, & Ioannes Maria Contelorus.

Pri-

Digitized by Google

Primum atque vltimum Arcum huius Ambulacri, quaſi in Orbem circumflexum duodecim Cardinalium Imagines decorabant: totidem diceres Romani Zodiaci ſigna, ſuis inſignita ſplendoribus, niſi quod nulla in illis monſtra prater ea, quæ calamo domuere.

HORATIVS SPINVLA.

Epigramma.

Quem ſibi ſtellifera Ferraria ab Arce Parentẽ,
Et famulo ſupplex arſit in amne Padus,
Paſtorem amplexa eſt Ligurũ Regina, breuiſq;
Purpura de ſolio languit in tumulum. (aſtris
Spinula ceu Roſa pompã aperiſque, periſq;, ſed
Fundit adhuc ſimiles ſpina relicta roſas.

BONIFACIVS CAIETANVS.

Epigramma.

Vraniæ comes, ac Sophiæ Boniſacius æthram
Scandit, & alta ſinu Templa, Deumq; capit.
Hinc diues redit in terras, ſimiliſque Tonanti
Numinis in Templo Numinis ore tonat.
Non caneret diuina, Deum qui corde gerebat?
Sydera fundebat? ſydere plenus erat.

HORATIVS MAFFEIVS.

Epigramma.

Florem iuuentæ mentis autumno ſenem
Sacræ in Senatum Purpuræ Paulus legit;
Sed candidatum æternitatis Purpura
Florem in Senatum ſiderum legit Deus.
Places Horati Numini, & Romæ places,
Sine labe candor vbique candidatus eſt.

MICHAEL ANGELVS TONTVS
Cardinalis à Nazaret.

Epigramma.

Purpureo niueos geris in cognomine flores,
Pietatis & Collegio coronaris;
Eligis hæredes Michaël Pietatis Alumnos,
Pioſque in agro Palladis ſeris mores.
Haud igitur ſterili geris in cognomine flores,
Nazarea Pallas fructibus coronatur.

FABRITIVS VERALLVS.

Epigramma.

Certatim Heluetij, Meliteque operoſa merenti
Purpurea agglomerant vellera Fabritio.
Septimus ipſe ſuũ Vrbanus laudabat Alumnũ,
Laus eadem à Paulo Principe quanta fuit?

Vota

Vota quid enumerem Romæ ? meruiſſe duorū
Vrbani, & Pauli Oracula, non ſatis eſt ?

IO: BAPTISTA LENIVS.

Epigramma.

Carole te Diuis adſcribit Roma, tibique
Lenius hæredi templa ſupèrba locat.
Aurea Templa locat; ſed mens pretioſior auro
Se Borromæi collocat in gremio.
Caroli at in manibus rutili mens induit aurum
Numinis, hoc auro hæc gemma liganda fuit.

ALOYSIVS CAPPONIVS.

Epigramma.

Cui Clypeus niger,& niueus? noctemq;diemq;
Palladis in Clypeo geſtat Aloyſius.
Clarius eſt ſpeculū,cui ſubditur vmbra: nigellæ
In tunicæ amplexu clarior eſt oculus.
De Clypeo ſpeculum fecit prudentia: rerum
Exitus oppoſito cernitur in ſpeculo.

PHILIPPVS PHILONARDVS.

Epigramma.

Quo ſe Relligio armat, & timetur,
Amictum horridulum tenens Philippus,

Hac

Hac in veſte Deus triumphat, inquit,
Tanti purpura noſtra non eſt? ò vim
Paupertatis amabilem, coruſcum,
A quo ſydera mutuantur aurum,
Paupertas vbi Numen explicauit,
Sordet Purpura: purpurantque ſordes.

PETRVS PAVLVS CRESCENTIVS.

Epigramma.

Animos beandi cura cui maior? gregem
Pane Angelorum paſcit auguſta manu,
Solique Luna lumen, & ceram refert;
Facit hoc Kalendis ſingulis Creſcentius;
Deo dat ille: nemo maiori dedit:
Deum dat ille: maius hoc nemo dabit.

IACOBVS SERRA.

Epigramma.

Aurea Vela dedit, dedit arma Georgius, auro
Serra triumphali Cæſaris arma iuuas.
Pannoniæ inde Salus, & Cæſaris: inde cadentum
Sanguine Turcarum purpura parta tibi eſt.
Cæſaris in lauro collega ſilebere? in hoſtem
Collega armati Numinis ire potes.

HO-

HORATIVS LANCELLOTTVS.

Epigramma.

Conſultiſſime Romuli Nepotum
Lancellotte, magiſtra quem docentem
Prudentiſſima Roma conſulebat:
Te ademptum ſibi cor, ſuamque linguam
Fleuit Purpura, pulla Roma fleuit.
Cordatiſſima lingua conticeſcis;
Hoc prudentia corde cogitabat:
Hoc mundi Caput ore ius docebat.

ROBERTVS VBALDINVS.

Epigramma.

Dum fugit è terris, & ſe tranſcribit Olympo,
Et Leo diuini more Leonis obit.
Vbaldinus adeſt ſpectator, & æmulus, hæres
Hinc Vbaldino Numinis vna Fides.
Hæredem moriens, Numenq; Fidemq; reliquit,
Nil habet hic moriens? aſtra Leonis habet.

Sequebatur Ambulacrum Orienti Soli aduerſum, in cuius Arcu XVII. depicta

LVGDVNVM, AVENIO, DOLA.

Lugduno Roma facundiam debet, vnde pri-

primum habuit eloquentiæ, Tullijque Magiſtrum: alios nunc etiam ſpectat ex Collegio ibidem à Conſulibus Vrbis fundato. Tu verò quos iactas Gymnaſij tui Conditores Auenio? præter Ciuitatis CONSVLES,. Pontifices duos PIVM QVINTVM, & QVINTVMt DECIMVM GREGORIVM. At DOLA noluit alijs debere, quod ſibi prodeſſet.

E regione altera ad Orientem obuerſa, ipſaque in fronte Arcus XVII. aperiebat duo veluti lumina, duos Romanos Proceres IOANNEM ANTONIVM VRSINVM Sancti Gemini Ducem, ingenio non minùs quàm ſanguine clarum, ipſarumque Muſarum Cynoſuram, vel Helicem Vrſarum ſpolium pro humanitatis victoria praferentem. Alter erat CAROLVS MVTVS Caniſmortui Dux, vtpote qui pro Sabaudo Duce Roma Orator ironiam augebat, dum lingua Principi ſuo nec mutus, nec adulator, Summi Paſtoris ad pedes nulli oblatrans oſcula figeret.

Purpura tamē clarore fulgebant CHRISTOPHORVS BVSSONIVS, ac ROBERTVS MILDETONVS Angli, quorum ille tredecim; hic vndecim Sociorū agmine ſtipatus, mortem cum immortalitate pro Catholica Fide mutantes mutuati ſunt, non ſine fœnore, momentū illud, vnde pendet æternitas; ipſiſque vel atramenti, vel ſanguinis guttis Lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.

IO:

A dextris :
IO: ANTONIVS VRSINVS
Dux S. Gemini.

Quid importunè deblateras,
Raram in Aula Principum
Inquilinam apparere ſapientiam ?
Suſpice quot hìc ſapientiæ
Studioſi Principes ſedent ?
Et inter hos venerare
Ioannem Antonium Vrſinum ;
Cuius ingenium
Ab omni parte Romanum
Excoluere
Muſæ manſuetiores,
Vt gentilitiæ Coronæ
Lauream inſerere potuerit.
O' gloriam veſtram, Muſæ,
Quæ fronde veſtra
Coronare potuiſtis
Vrſinam frontem.

CRISTOPHORVS BVSSONIVS
Cum XIII. Socijs ab Hæreticis in Anglia interfectis.

Falleris, qui ſolùm ad vmbram
Delicatos hic ali milites putas;

Digitized by Google

In ſolem etiam educendi
Feliciter educantur,
Et ſudorem è frontibus
Spargere
Gregoriana Pallas docet:
Ex hac Palæſtra prodiere
Quos hic milites
Laureatos vides;
Ornarunt hi Academiam ſanguine;
Dum auxere Bellatoribus Cælum:
Ita ſuam probauere ſcientiam Deo.
O quantùm didicit
Qui cum virtute didicit mori!

A ſiniſtris.
CAROLVS DVX MVTVS.

Ergò licuit & Muto
In ſuarum encomia laudum
Eloquentem facere poſteritatem.
Quidni?
Virtutum vox vna ſuperſtes
Famam reddere facundam ſolet;
Hæc Elogiorum magiſtra eſt,
Ijs hic artibus ingenium
Carolus informauit,
Quibus magnis Principibus

Pla-

Placere poſſet.
Placuit Carolo Emanueli
A' Sabaudia,
Cuius Orator apud Pontificem vixit.
O' fortunatum Oratorem!
Cui famam meritis parem
Habere contigit Oratricem.

ROBERTVS MILDETONVS,
Et XI. Socij ab Hæreticis in Anglia interempti.

Hi quoque vulnerum ore
Profeſſi ſapientiam ſunt,
Iam verò laureati
Mortales docent.
Quin huc adeſtis Spectatores?
Diſcite fuſi pro Chriſto ſanguinis
Centrum eſſe Cælum.
Cùm è vulneribus manat cruor,
Rectum iter ad Deum parat.
Quid ergo Lacteam in Cælo
Fingitis ad Iouem viam,
Nigra Capita Poëtarum?
Veriora vos Oracula docetis
Fidei Propugnatores inuicti:
Quæ ducit ad Numen via
Sanguinea eſt.

In Arcu XVIII. Depictæ erant tres aliæ Gallicanæ Ciuitates

BVRDIGALA, RHEMI, CASTRVMPALVM.

Spirat adhuc in antiquis monumentis conſepulta Burdigala, magnique oſſa cadaueris, quali ſpiritu fuerint animata, teſtantur. Erudiunt ipſa rudera veteris dignitatis ignaros; quam etſi tacerent Hiſtoriæ, ſaxa loquerentur, Sed mutis laudatoribus non eſt opus, vbi fundata à FRANCISCO BOLONO Senatore Academia, quot ſtudioſos numerat, tot habet Burdigalenſis gloriæ præcones.

Infra.

Palenſe in Benearnia Collegium tuæ magnificētiæ munus eſt, LVDOVICE REX optime cognomento Iuſte. Qua in vrbe maiores tui Regiam Principatus, & Curiam collocarunt; illic tu regnatricem & præſidem omnis Cu-

Doctos olim viros complures Rhemenſis vrbs peperit, hodieque parturit concipiente ingenio, diligentia obſtetricante. Prouidit hoc FRANCISCI BRVLARTII ſagaciſſima mēs, vbi Rhemenſe Collegium condidit ad pro-

Curiæ ſapientiã præeſſe iuſſiſti.

propagandam eruditorum hominum nationem.

Eo in Arcu in proſpectu erant CONSALVVS DE CORDVBA in Germania proque Catholica Fide neſcias Dux ſanguine, an vulneribus clarior. Nullo quaſi diſcrimine diſtabat PHILIPPVS CAETANVS Sermonetæ Dux, qui quia ſuæ Gentis Caput Aquilas, atque vndas ſuas quatuor Cardinalium purpura rubeſcere docebat, dum albicarent. Quando verò IOANNES BAPTISTA, ac CAESAR STELLA tantum ſplendoris nomine non præferrent, ſat erat in illo Pontificiæ Signaturæ decus, in hoc humaniorum literarum fulgor ille, qui vni Phœbo, nempe Soli debetur.

A dextris.

CONSALVVS DE CORDVBA

Mediolanenſis Gubernator.

Magnum hic vtriuſque Palladis
Alumnum vides.
Poſt informatum literis animum;
Armauit ille dexteram ferro.
Hoſtium Principi ſuo rebellium
Victor in Italiam venit,
Vt in hoc terrarum Capitolio triumpharet.
Mediolano præfectus à Rege,

Tro-

Trophæum ſibi poſuit famæ linguam;
Hæc dicet perpetuò Conſaluum.

IO: BAPTISTA STELLA.

Ne Cælo noſtro ſidera deeſſent,
Effecit familia Stellarum.
Ex his emicuiſti Ioannes Baptiſta,
Quem ſplendida literarum merita
In ædem Vaticani Solis intulere;
Libellos illic illi ſupplices dabas,
Vt hauſtam inde gratiarum lucem
Spargeres æmula Solis manu;
Dixiſſem pari, ſi nocte vinci poſſes;
Omnem tu noctem vinces: Stella es.

A ſiniſtris.

PHILIPPVS CAETANVS
Dux Sermonetæ.

Coronatæ nobilitatis auro
Gemmam inſeruit ſapientiæ Philippus.
Vna hæc pretium coronæ addit, & decus.
Hinc gentilibus Aquilis euectus
Per ora omnium volat.
Per vndas verò ſuas
Lactea tranquillitate pacatiſſimas,
Enauigauit ad memorem poſteritatem.

In

In vndis quippe Caëtanis
Æternum fecit obliuio naufragium.

IVLIVS CÆSAR STELLA.

Sed tu quantum poëtico Cælo
Luminis attuliſti Iuli Cæſar?
Qui magna illa lumina literarum
Muretum,Victorium,Magnum,Curtium,
Fuluium Vrſinum,Bargæum,Querengum,
Et purpuratæ Principem ſapientiæ
Alexandrum Farneſium, admiratores
Habuiſti.
Quem Columbus reperit,ornaſti mundū verſu:
Et verò Mundum ornare,Stellarum eſt.
Poſuere Petrus Schinchinellus, & Mutius Bonioannes.

Arcum XIX. Adornabant duæ nobiles Ciuitates

GRÆCIVM, ET TYRNAVIA.

Quis nouum Olympum neget eſſe Germaniam, vbi literata quies eſt ſupra nimbos, tempeſtateſque bellorum; eruditas aures arma circumtonantia non exurdant: diſſonos inter ſtrepitus bombardarum numeroſè ſonans auditur Poëticæ ſuauitas Lyræ. Quod ſi Mars,

&

Digitized by Google

& Apollo in Germania verè Germani mutatis inuicem armis, identidem colludunt, & gerere ſcribendas, & res geſtas ſcribere, vt Cæſarum eſt, ita Germanum.

Infra.

Auſtriacæ magnificentiæ ſplendorem ſi quis ignorat, extra Vniuerſitatẽ ſit oportet Auſtriaci nominis gloria iam plenam. Quicumq; tamen in hoc Sole caligat, ad Græcienſem Academiã ab ARCHIDVCE AVSTRIÆ CAROLO fundatam, oculos, mentemque conuertat.

Habuit Hungaria Mæcenatem ſuũ PETRVM PAZMANVM Cardinalem; is doctorum hominũ amans, quia doctus, Tyrnauienſem Academiam excitauit, vt quæ gens magnam Othomanicæ ſubiecta lunæ noctem patitur animorum, ad ſapientiæ conuerſa Solem aliquid lucis hauriret.

Ne crederes APPII, ac TORQVATI nomina tantùm Romana eſſe, en tibi duo filij Romana è familia verè Comites, qui ne ſua degenerarent ab arbore, Cæſareis in Germania Aquilis non minùs laureas dedere quàm fulmina: illud certè promeriti elogium: Duo fulmina belli Scipiades duri bello, & te maximè Cæſar,

pro

pro quo nunquam ſine victoria militarunt. Sed quia ſupremi Oraculi vox prima eſt: Imperatoriam Maieſtatem, non ſolùm armis decoratam, ſed & legibus oportere eſſe armatam, non abs re ac linea venerant PROSPER FARINACCIUS, atque OLIVERIUS BELTRAMINUS, in Criminalibus, Ciuilibuſque materijs innoxius, ac perhumanus vterque, nec minùs hic in opuſculis, quàm ille in operibus, ſua ſupellectile diues, atque omnia bona ſecum portans.

A dextris.
APPIVS DE COMITIBVS
Exercitus Pontificij Ductor.

Dedit etiam Heroas Marti Gregoriana Pallas;
Hinc Appius profectus in Belgium
Alexandrum inuicti nominis Ducem
Farneſium habuit Inſtitutorem.
Tum renunciatus in Gallia
Pontificij exercitus Imperator.
Ereptus terræ properauit ad Heroas;
Heroum nempè familiam cumulare,
Veſtra, Comites, cura eſt.

OLIVERIVS BELTRAMINVS.
Mundo ſe literario notabilem
Reddidit Beltraminus;

Q Cùm

Cùm GREGORII XV. Pontificis deciſiones
Luculentis illuſtrauit notis.
Nulla non ætas venerabitur
Poſitum ingenio monumentum,
Cui Ludouiſianum in fronte nomen
Spondet vna cum pretio perennitatem.
Quin dente rodi ſæculorum nequit,
Quod opifice ſapientia ſolidatur.

A ſiniſtris.

TORQVATVS DE COMITIBVS
Dux Guadagnolæ.

Et hic via regia graſſatus ad gloriam eſt;
Ad Martem è Pallade dilapſus,
Danum à ſe Regno pulſum,
Cæſare annuente, redonauit Regno.
Guſtauo Regi
E Baltico mari
Armis aliena inuadenti
Pectus obiecit verè Romanum,
Eoque abſente nouit Germania
Quantum eſſet habere Torquatum.

PROSPER FARINACCIVS.
Reorum inexorabilem vindicem
Venerare, Mundo venerabilis Roma:
Amorem virtutis eximium
Teſtatus eſt hic odio vitiorum:

In

In Reos acriùs animaduertere
Viuentis Proſperi ſtudium fuit.
Hoc ſuis in libris mortuus docet.
Sed quid ego mortuum dixi?
Ius morti nullum in illos eſt,
Quos immortalitati Iuſtitia commendauit.

Viennam Auſtriæ, atque Auſtriaci Imperij caput Arcus XX. coronabat, eo Roma auguſtius, quod vna in Domo quatuordecim Cæſares numerat, & pluribus Aquilis quàm Romulus Vulturibus, Romano maius ſibi Imperium auſpicatur.

VIENNA.

Si duas Orbis terrarum caperet Romas, Vienna earum eſſet altera: gaudet Vrbs Vrbium Capite generis Chriſtiani triplici diademate coronato, & Germanica Roma ſecum. habet Romani Caput Imperij pluribus victorijs Laureatum; opponit illius Tiberi Danubium ſuum, maiorem aquarum mole, gloria non minorem, & eum quoque binominem.
Amplectere Itala Roma Germanam.

Infrà.

Salue ſedes Imperij, Vienna, ſpecie digna Imperio: coronantur alibi Cæſares, in

Ad erudiẽdos Cæſares qualis Palæſtra requiritur; in qua nempè ludimagiſtra ſit

in te naſcuntur. Vt opportuna ſis Cæſarum patria, ſapientia perficit, per quā Reges regnant; hanc tibi FERDINANDI CÆSARES PRIMVS, & SECVNDVS in Collegio fundando, amplificandoque inſinuarunt.

ſit seriò ludens in Orbe terrarum ſapientia; vbi liber Principum exponatur, narratio rerum præclarè geſtarum. Hoc Viennenſis Collegij decus eſt proprium, vt ſit Schola Imperatorum.

Qui IACOBVS, ac GREGORIVS BONCOMPAGNVS inibi, vt proprio in ſolo duo veluti eiuſdem Domus faſtigia, caput attollebant, ſola modeſtia non erant elingues, vt GREGORIVM ſuum eiuſdem Collegij conditorem omninò tacerent, Gentilitiumque Draconem ad amænißimi ingenij cuſtodiam non loquerentur appoſitum. Quod ſi Bizantina in Bibliotheca draconis in viſceribus totus Homerus condebatur, quanto hic maior, licet dimidius, qui tot ſapientum volumina inuoluebat?

Cedren. in Baſilica.

At quia Anglicani Collegij Alumni eundem GREGORIVM agnoſcebant Parentem, eiuſdē ſub alis RODVLPHVS SHERVINVS, & GREGORIVS SAYRVS non vnum ſe calamo Coclitem oſtendebant pro Patria in Ponte pugnantem, dum Romam non minùs Patriam, quàm Pontificiam propugnabant.

IA-

A dextris.
IACOBVS BONCOMPAGNVS,
Dux Soræ.

Tua, Iacobe, familia,
Cuius munere alios laudamus,
In omnium celebratur Elogijs.
Gregoriani te Collegij
Lapides ipſi loquuntur.
Nos ingrati ſileamus?
Excipiunt alios Muſæ,
Te non hoſpitem,
Sed beneficum Patronum
Gratiæ pro Muſis excipiant.

RODVLPHVS SHERVINVS.

Hic Anglorum Collegio Primus
Sapientiæ laudem peperit.
Equleum, vt ſuggeſtum aſcendit,
Vulnerum ore, ſanguinis voce,
Oracula veritatis expoſuit.
Pro laurea laqueum impietas
Coronis nobiliorem dedit.
Loquentis non exciſam linguam,
Sed cor miraris euulſum?
Sciebant cordatè loquutum.

GRE-

Digitized by Google

A ſiniſtris.

GREGORIVS BONCOMPAGNVS

Dux Soræ.

Parum ne, Gregori,
Hæc Sapientiæ Regia
Genti tuæ deberet;
Niſi etiam coronatus Auditor
Gymnaſia nobilitaſſes ingenio?
Quid mirum,
Si tuum hoc Lycæum
Illuſtrari à te potuit,
Qui Mathematico radio,
Lucem ſyderibus attuliſti.

GREGORIVS SAYRVS.
Spirantem Sayri effigiem
Eius in libris expreſſam cerne;
Stylo, non penicillo
Sapientiæ vultus expingitur;
Literarum notæ
Ingenij lineamenta ſunt.
Quid libri quamplurimi,
Niſi multiplex ingenij fætus?
Aliam ne quære imaginem:
Viua Patris Imago in filijs eſt.

Poſuit Octauius Oldoinus.

Con-

Digitized by Google

Continuabant adornare Arcum XXI. Germaniæ Ciuitates

INGOLSTADIVM, FRIBVRGVM, DILINGA.

Bauarica nè Virtus in bello, an in pace magnificentia magis Germaniam illuſtrauerit incertum eſt: Ingolſtadienſis certè Academia Bauariæ Ducis ALBERTI liberalitate fundata, pacificam hanc laudem tàm altè ſuſtollit, vt iam triumphum canere videatur; nimirum armis vita mortalibus eripitur, literis Immortalitas datur. *Infra.*

Tua ſacra Purpura, OTHO CARDINALIS, TRVCHSESI Dilingano Collegio aurora fuit, quæ diem aperuit, non horarum, ſed doctrinarum varietate diſtinctum; qua te luce non Vaticani Cęli ſydus, verùm Solem quoque Germaniæ declaraſti.

Et Friburgēſe Gymnaſium à magno conditore magnum eſt. Quid enim ei gloriæ nō affudit Archidux Auſtriæ LEOPOLDVS. Aſpexiſti Roma Principem, & ſuſpexiſti ignotum vulgò, ſed luce proditū ſua; Maieſtas tanta Collegium hoc impleuit, & beauit.

Vi-

Digitized by Google

Vigeſimo primo in Arcu, quia Germania ſibi vindicabat cætera Vti ornamenta, Cæſaream Maieſtatem Cæſarina Domus illuſtrabat, dum IVLIANVM, ac IOANNEM GEORGIVM in lucem ederet ab ea ſæpè progenitos, quæ ſicut Vexilliferos Romano Populo præficit, ita etiam ingenijs literiſque anteſignanos, ipſoque in Capitolio pro laurea Statuam aſſecutos, eo tamen è lapide, quem Parnaſi è viſceribus animæ referunt Immortales.

Neque tamen ſua in ſublimitate viros dedignantes eximios, GABRIELEM nempè CHIABRERAM, qui in nouo quaſi Poëſis genere ſuum æmulatus Columbum, Ligur verè Cycnus ſuam in Italiam theſauros non modò, ſed fodinas inuexit. Vt Americum alterum ANDREAM SALVATORIVM ab Etruria quoque genitum dicas, facit diues non minùs Martyrum ſanguine vena, quàm totius Roſarij purpura. Hortum ne dicas, ac Erythræum? Sacra lauro dignior, quod Cypriam contemneret Myrthum.

IVLIANVS DVX CÆSARINVS
S. P. Q. R. Vexillifer.

Nomen ſortitus à Iuliano,
In Synodo Florentina
Purpuratorum Principum flore,
Ab eo miram ingenij alacritatem
Hau-

Hauſiſſe viſus eſt.
Vt ſi coronam fortuna denegaſſet,
Coronatus tamen apparuiſſet.
Ingenium quippe Cæſarinum ne,
An Cæſarianum?
Eſſe Iuliano poterat pro Corona.

GABRIEL CHIABRERA.

Non expectat elogium noſtrum,
Qui elogium habuit
Ab Vrbano Pontifice VIII.,
Dum huius ſæculi Poëtarum
Etruſca Lyra præſtantium
Principem Chiabreram dixit.
Si quid vltra cupis?
Neſcis quantum ſit;
VRBANVM habuiſſe laudatorem.

A ſiniſtris.
IO: GEORGIVS DVX CÆSARINVS
S. P. Q. R. Vexillifer.

Tibi verò, Georgi, quantum gloriæ
Maiores, & fratres afferrent?
Quantum enim præ cæteris daret
Virginius noſtri ſæculi Phœnix?

Digitized by Google

Cuius ingenio factum eſt,
Ne Mirandulæ Picum inuideat Roma;
Niſi tu volatu Cæſarinis proprio,
Ipſum gloriæ culmen tenuiſſes;
Vbi nidum locare conſueuit
Aquila Cæſarina.

ANDREAS SALVATORIVS.

In ſinu Floræ natus, nutricem
Habuit Palladem Gregorianam.
Nouit ingenium triumphale
Donatrix auguſta Laurearum,
Poëtico imbutum ſpiritu,
Remiſit in Patriam.
Excepit Dux Magnus Etruriæ
Dixitquè Poëtam ſuum:
Tantus Achilli tanto debebatur
Homerus.

Poſuere Laurentius de Philippis Acad. Parth. & Generoſus de Angelis.

In Arcu XXII. ſpecie peregrina oculos alliciebant.

PADERBORNA, ET OLOMVCIVM.

I nunc, & Mundi Mundum eſſe Romam
infi-

Digitized by Google

inficiare, ſi potes, en quot Vrbes ad hanc vnam confluunt, eique partem aliquam, imò florem delibatum offerunt cui; Romana ergò Sapientia eadem eſt atque humana, & iure Collegium hoc, vbi tam Variæ nationes vna viuunt anima, ſapiunt mente, lingua loquuntur, non Vrbis, ſed Vniuerſitatis voluit eſſe Gregorius.

Infra.

Vt amænitate frugifera ſuum paſceret Gregem ſedulus animorũ Paſtor THEODORVS PADERBORNENSIS PRÆSVL, ac Princeps Imperij, diſciplinarum Seminarium excitando, Pindum ipſum viſus eſt in Vrbem, quam Sacro regebat imperio, transferre.

Olomucium etiam debuit in hoc lumine collocari, cuius Collegium fundatũ quidem fuit à GVLIELMO PRVSINOWVSCHI DE VRZKOVA Epiſcopo eius Vrbis, & Principe, ac maximè auctũ à FERDINANDO SECVNDO CÆSARE, qui alijs Principem, Societati Ieſu Patrem ſe geſſit.

Nulli præteritorum Arcuum XXII. ſua decora inuidebat, ijs ſcilicet Imaginibus, quæ vti fumoſa ſoli inuidiæ lacrymas elicerent, lumina æmulationi præberent:

An non ſi facem hìc præferebat HENRICVS DVX CAESIVS *Aquæſpartæ Dux Hymenæus videri potuit, qui ſibimet ſapientiam, quam ex animo ardebat, deſpondebat. Nec locum deſereret, ac cederet* IOANNES CAROLVS MARCHIO BADENSIS, *atque Imperij Princeps, proprijs non minùs dotibus, quàm auitis titulis diues. Quibus faſces ſuas Laureis adornabant* LVDOVICVS CARBO, *ac* MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS, *quos meritò Poëtarum Senatus duo culmina Pindi dixiſſet, nullo tamen, vti Olympus, fulmine quatienda.*

A dextris.

HENRICVS DVX CÆSIVS.

Clariſſimum hunc ingeniorum oculum
Venerare, Lector:
Nec fuiſſe oculum dubita,
Qui in Academia Lynceorum
Sedit Princeps.
Vt plauſibus hiſce ſæcularibus intereſſet;
Anticipata præmiſit
Suffragia meritorum.
Miraris ad hæc tempora perduraſſe?
At gloriam habuere conſeruatricem.

LV-

LVDOVICVS CARBO.

Proh quantum lucis ex vno carbone
Traxere literarum Alumni?
In ara Veſtæ Gregorianæ
Ignem concepit, quo Gymnaſia
Reliqua conflagrarunt.
Impertita terris luce librorum,
Occidit extinguendus nunquam.
Cælum ſuſpice, ſi qua flamma
Carbone ſplendidior micat?
Tantum eſt, igne Gregoriano ſuccendi.

A ſiniſtris.

IO: CAROLVS MARCHIO BADENSIS
Princeps Imperij.

Adeſt hic quoque Princeps ludis noſtris
A patrio Septentrione.
In hac Romanæ Religionis Palæſtra
Artes didicit contra Fidei deſertores,
Quos armis fregit, & authoritate;
Cæſari ſimul, & Cæſarum Domino
Fidelis;
Dum quæ Cæſaris nouit, Cæſari dedit,
Quæ Dei ſunt, aſſeruit Deo.

MAR-

MARCVS ANTONIVS BONCIARIVS.

Oculorum hic luce caſſus
Muſarum oculus vixit.
Hinc Peruſia iactat Homerum ſuum:
Oculos tranſtulit in Cælum fama,
Geminam ad portum gloriæ
Nauigantibus Cynoſuram.
Tu verò gaude, Antoni,
Nunquam de te non recte loquetur
Erudita mortalitas;
Quæ à te habuit artem rectè loquendi.
Poſuit Carolus Bettintrochus Sem. Rom. Conuictor.

Vt ſequens Xyſtus ſuis intercolumnijs plurium Cardinalium imagines ſuſtinebat, ita omnium ſpectatorum oculos erudiebat: poſſe etiam ſapientes, atque optimos viros ſibi inuicem dicere ſaniori conſilio, & ingenio: coronemus nos roſis.

Sap. 1. 8.

TIBERIVS MVTVS.

Epigramma.

Candida vita fuit Fidei cui victima: quid ni
Ante aram Fidei mors pretioſa foret?
Mutus enim moriēs morientē amplexus Ieſum
Credo, ait, & geminans oſcula, mutus obit.

Lu-

Lucifer eſt diuina Fides: Fidei, illa loquentis
Non morientis erant verba,orientis erant.

IVLIVS SABELLVS.

Epigramma.

Inter fulmina Ibera, martioſque
Motus; Allobrogumque Galliæque.
Pacis Iulius vnus, es ſequeſter;
An hoc à genitricibus Sabellis,
An in regia ſceptra, Cæſareſque
Sex à Pontificum trahis Tiaris?
Quid ni? condita ab Vrbe ſemper Orbis
Pacem, & bella, Sabellus adminiſtrat.

SCIPIO COBELLVTIVS.

Epigramma.

Hæredem appellas Aciem, cui ductor Ieſus,
Inſtructamque libris patria in vrbe locas.
Annua corporibus præbes alimenta, dapemque
Veſcendam ingenijs Bibliotheca docet.
Quæ fuit hac pietas magis ingenioſa, magiſtros
Scipio, te iuuenem qui docuere, doces.

FRANCISCVS CENNINVS.

Epigramma.

Regnat,& vndantes ridet Salamandra fauillas,
Et regnatricis flamma corona ſuæ eſt.

Cen-

Cennini ante pedes Tagus aurifer impulit vn-
Auriferumq; Tagũ non tetigere manus. (das,
Aurum qui ridet, dominatur habentibus aurũ,
Infra habet hìc reges; hoc Iouis Imperiũ eſt.

STEPHANVS PIGNATELLVS.

Epigramma.

Vaticana iacet ſacro ſine Principe Sedes;
Et dignum quærit ſacra Tiara caput.
Hanc implet demum Vrbanus, quē ſeligit ipſa
Virtus, cui Stephani eſt mens operoſa comes.
Optimus eligitur: qui ſeligit optimus: ergo
Gloria magna ſibi mutua vterque fuit.

LVDOVICVS LVDOVISIVS.

Epigramma.

Loyolæ Templum poſuit regale Parenti
Ludouicus, opus grande nec eſſe putat:
Ipſe ſuo ingentem Loyolam in corde locauit,
Par Templum Heroi grande cor eſſe putat.
Ludouice tuũ Cor imagine nullus adumbret;
Pectoris hoc Templum regia imago tui eſt.

AN-

Digitized by Google

ANTONIVS CAETANVS.

Epigramma.

Qui Mariamnæi carmen regale cothurni,
Conſulis & Criſpi nobile ſyrma trahis:
Vt Panigarolæ teris ignea Caetanus
Fulmina, vt è Sophiæ puluere victor abis!
Purpurei plauſere Patres: è plauſibus illis,
An de fulminibus facta corona tibi eſt?

FRANCISCVS BONCOMPAGNVS.

Epigramma.

Sexaginta tibi Collegas aſpice Reges,
Regia quos Orbi Gregoriana dedit.
Boncōpagne, quid ad te lumina tanta? Parentem
Regibus in tantis aſpice Gregorium.
Cætera terrarum releges Collegia? Mundus
Gregori ab ingenio Gregorianus erit.

COSMVS DE TORRES.

Epigramma.

Sarmatiam Oſmanes igni, ferroque premebat,
Cùm Vaticana Coſmus ab arce volat:
Sarmata adeſſe Deū ſēſit, rapuitque propinquæ
Turris ab aſpectu pallida Luna fugam.

Turre tonat patria Coſmus, turrita tonantis
Non ferri poſſunt ora: quis arma ferat?

OCTAVIVS RODVLPHVS.

Epigramma.

Lex formoſa fuiſtis imperandi
Rodulphi, Chariteſque, Caritaſque;
Nulli illi famuli fuere; at omnes
Caritas ſibi liberos vocabat.
Cætus hinc popularium imperantis
Rapti ab impetu amoris ominoſæ
In diſcrimina mortis irruebant.
Hæc ſunt regna parentis, imperantis,
Hæc liberrima amoris eſt catena;
Quam nectit fabra caritas catena,
Non eſt illa Catena, ſed Corona.

ALOYSIVS CAETANVS.

Epigramma.

Miſſa per Heroum faſces, Atauùmque Tiaras,
Venit ad hæredem purpura Aloyſium.
Vnius ingenium, & Romanæ curia mentis
Omnis regali in pectore ſeruat Auos.
Dignam Rege Domũ ornauit ſibi, nã tot Auorũ
Ornamenta, niſi regia non caperet.

ER-

ERNESTVS ADALBERTVS AB HARACH.

Epigramma.

Ne ſpoliere fide, ſpoliatus ab hoſtibus auro es:
Nè pereat pauper, tu quoque pauper eges.
Hinc ſpoliāt inopes, ſpoliant hinc ſæuiùs hoſtes:
Non, Erneſte, tamen purpura nuda tibi eſt.
Diues es ipſe Deo, gemma, & theſaurus amanti
Cui Deus eſt; auri copia vile lutum eſt.

BERNARDINVS SPADA.

Epigramma.

Igneus ante fores Paradiſi fulgurat enſis,
Et tria tergemino Lilia ab enſe virent:
Felſina es hoc flore, hoc ferro defenſa, reciſa eſt
Triplici ab enſe lues, reddita flore ſalus.
Floribus arma iugat ſapientia Bernardini;
Lilia Pallas habet: fulmina Pallas habet.

LAVDIVIVS ZACCHIAS.

Epigramma.

Argus amor centum dederat cui lumina, terror
Cui ſopitus erat, ſed vigilabat amor,
Laudiuio Adriaci plauſit Regina profundi,
Riſit, & Vrbano Sole, ſerena domus.

Hæc ars regnandi, ſtragem intonat ira, ſereni
Rectio nam Mundi, non furor, harmonia eſt.

IVLIVS SACCHETTVS.

Epigramma.

Iuli, cui meritum clementia nomen, & alti
Conſilij palmam Regia Ibera dedit.
Felſina plura tibi poſuit monumenta, ſed ingẽs
Vrbis in ingenti pectore tu ſtatua es.
Sacrat in hoc Templo tua te clementia, templũ
Quid renuas? animos tẽpla animata decent.

IACOBVS DE CAVALERIIS.

Epigramma.

Fœneret vt Cælo terreſte Datarius aurum,
Agmen pauperum alit grande Caualerius.
Purpura, & immenſo cũ fænore redditur æther,
Altorique ſuo redditur ipſe Deus.
Nempe Dei gaudet Deus eſſe Datarius; vnum
Si ſe non dederit, nulla dediſſe putat.

LÆLIVS BISCIA.

Epigramma.

Emenſus tria luſtra puer, fora terna patronus
Implet, & attonita Lælius Vrbe tonat.

Inde

Inde patrocinium Regumq;Ducumq;cliētum,
Inde inopum in cauſis mille patronus ouat.
Victor eras, Læli, tibi nam mendicus Ieſus,
Numinis in cauſa Numinis ora dabat.

HIERONYMVS VIDONVS.

Epigramma.

Mortem vides adeſſe, non ſegnis iaces:
Sed ſtas, & alto corpore, & mentis ſtatu
Mortem minorem ludis, & calcas: iaces,
Vidone, poſtquam ſpiritus Cælum ſubit?
Stat vita Cælo digna, ſi corpus ruit,
Non vita, vitæ carcer àd terram ruit.

MARTIVS GINETTVS.

Epigramma.

Gymnade ab Heroum Ginette Vicarius Vrbi,
Quantus, & armati pacifer Orbis ades.
Vrbs trãquilla ſilet, dũ ſanguine fluctuat Orbis,
Orbis tu laceri in vulnera miſſa Roſa es.
Vrbani ad Reges, ò donum miſſile: Regum
Iunge animos: gemini ſic Roſa Regis eris.

FA-

FABRITIVS VEROSPVS:

Epigramma.

Romani Patris os referens, Regumq; Senatum
Fabritius, magni Cæſaris ora ſubit.
Audijt orantem Cæſar, ſe ſeque minorem
Numine confeſſus, maximus inde fuit:
Purpura defenſa eſt; Regumq; Deique patrono
Quàm data iure ſuo purpura Fabritio eſt.

Tandem circumacto, abſolutoque huius Xyſti curriculo, atque orbe, qui æternitatem refert, maximam ianuam, vt illam obtineret, attingebat potiùs quàm pulſabat ea dimidia pars, in qua PRAGA BOEMIAE Caput ſuum agnoſcebat, nempè Cæſarem, cuius quaſi ad pedes Arcus XXIII. accidebat.

PRAGA.

In Boemia Hercynijs coronata ſyluis Regina Praga, nil tamen habet ſylueſtre: ad munimentum illis cingitur, an ad ornatum? Syl-ueſcere non poteſt quæ ſapientiam colit mentium excultricem: hanc ei præfeciſti FERDINANDE CÆSAR iſtius nominis Prime, Pragenſem inſtituens Academiam: nam quid hoc aliud fuit, quàm in media ſilua doctrinis humanis hortum conſerere, diuinis Paradiſum.

Qua

Qua Caius quondam Popilius Sabellus Antiochum Regem Aegypto incumbentem circulo quaſi ad deditionem ſimul, ac diſceſſum coëgit: eadem è gente erant PAVLVS ALBANI PRINCEPS *diu Romæ pro Cæſare Orator, eiuſque frater* IOANNES PALVMBARIAE DVX *omnium literarum encyclopediam nactus, qua ſemet ampliore quaſi diademate redimiret. Magneticam diceres catenam, in qua vnus annulus ad ſe traheret alios. Hi fuere* ROBERTVS FORNERVS *humanis ſacriſque ſcientijs ad inuidiæ ſupercilium admirandus, ac* MARIANVS VALGVARNERA, *cuius ſapientiæ omnigenæ Panormus debet, vt nec illi Patria Ciuem, vt olim Homerum, inuideat.* Liu. dec. 5. lib. 5.

A dextris.

PAVLVS SABELLVS

Albani Princeps Cæſaris Orator.

Ex Auguſta Cæſarum Regia,
Diuerte tantiſper ad nos,
Paule Princeps.
Te quoque præſtolatur
Magnorum hoc virorum Auguſtale;
Locum tuum hìc recognoſces,
Quem, cùm ad magna informabaris,
Non inglorius occupaſti.
Noſtræ te pompæ ſpectatorem

Cu-

Cupimus,
Quem non ſine gloria
Vidimus auditorem.
Hinc Cæſarum Orator,
In adita Pontificum immigraſti.
Quantum Licæi noſtri decus eſt,
Tantum dediſſe Cæſaribus Oratorem.

ROBERTVS FORNERVS.

Hunc non vltimi nominis Oratorem
Collegio Romano
Debet Ingolſtadienſe Lycæum.
Vna formare nouit Oratores,
Roma,
Quæ Mundo Principem Oratorum
Tullium dedit.
Si quam hinc hauſiſti dicendi
Facultatem, Roberte, redderes;
Stylo te laudarem pari.
Quod in elogio tuo peccauerim,
Crimini vertes tibi,
Si nimiùm laudis promeruiſſe
Crimen eſt.
Modica nempè laude
Puniri, nimiam qui meruere ſolent.

IOAN.

A ſiniſtris.
IOANNES SABELLVS.
Dux Palumbariæ.

Nec Tu è Marcelli Theatro,
Vnde ſubiectam oculo dominatori
Spectabas Romam,
In Theatrum noſtrum
Deſcendere recuſaſti Ioannes
Princeps verè theatralis?
Hìc tibi ſedem deſignaſti,
Quam ſæcularibus ludis occupares.
Vnum te vacua expectauit,
Minorem Sabello Principe
Non paſſura ſeſſorem.
Græcis addictus literis
Exemplo tuo legem dediſti,
Qua monerentur vniuerſi,
Linguam colere peregrinam.
Scilicet eſſe pro legibus
Exempla Principum ſolent.

MARIANVS VALGVARNERA.

Et antiqui ſplendor ſanguinis,
Et Romæ nota ſapientiæ lux,
Obuium dedit oculis è Sicilia

Marianum,
Theologum, Philoſophum, Hiſtoricum,
Et Græca, Latina, Etruſcaque lingua
Inſignem Poëtam.
Habuit in delicijs Vrbanus
Generis humani delicium.
Præclara doctrinæ luce monumenta
Poſteritati reliquit,
Et quidem ære perenniora;
Vt quæ aurea vis exegit ingenij.
Hæc æui comitem ſui,
Laudem Literatorum trahunt.
Poſuit Ferrantes Cauenagus Sem. Rom. Conuict.

Trium Sacri Imperij Principum in Arcu XXIV. tria Domicilia ſpectabantur.

MOGVNTIA, HERBIPOLIS, AVGVSTA TREVIRORVM.

Quanta ſapientia opus habet Moguntina Sedes, quanta eloquentia, quæ inter alias Cæſares Mundo imponit, atque ex omnibus eligit, qui omnibus imperet. Diuinum ergo tuum DANIEL AB HOMBVRGO Septemuir, & Archiepiſcope, conſilium fuit, ibi condendæ doctrinarum ſedis, vnde ſuffragia prodeunt felicitatis humanæ.

In-

Infra.

Auguſta Treuirorum olim Auguſtorũ Regia, nunc vt priſtinã gloriam, aut æquaret, aut vinceret, facta eſt Auguſtale ſapientiæ; Treuirenſe quippe Collegium ab Archiepiſcopo Septemuiroque IOANNE A PETRA fundatũ, ſapientiæ baſilica eſt Imperatoribus imperantis.

Amæno fluuio tam amæna Herbipolis eſt, vt Apollini perſuaſerit, & Muſis Helicone deſerto hic nõ hoſpitiũ habere, ſed domum. Hanc, & ſe dignam, & illis FRIDERICVS eiuſdem vrbis Epiſcopus fabricauit, meritus, vt nunquam ab Apolline ſileatur, & Muſis.

Aderant ad augendam ſuis infulis lucem DOMINICVS MARINVS, qui poſt aliarum Vrbium, ac Prouinciarum regimen, ipſius Romæ in gubernaculo poſitus, feliciter ipſum propè Nauarchum, nauim traxit in portum. Clauum iterum in puppi regens cùm Hiereſolymitanus Patriarcha, ac Genuenſis Archiepiſcopus in patriam remeauit, Marinus verè Typhys, ac Iaſon. Procul ex vltimis finibus, ſuo nempe è Libano viſus appellere MOYSES HANAISIVS Maronita, ac Cypri Archiepiſcopus, qui dum Vnicornis inſtar errorum venenum ſuis è populis pellere nititur,

 alio

alio extinctus inibi eſt, quod ab hoſtibus, vt ab anguibus hauſit; mortuus tamen in oſculo Domini, à quo vitam bibit æternam.

Qui proximos Ioui ſuo, vti Pallas, honores occupauit fuit IVLIVS ARESIVS, Supremus in Mediolanenſi Senatu Præſes ea prudentia, ac ſapientia præditus, vt eius è capite exortæ viderentur. At qui ſuberat AVGVSTINVS PALLAVICINVS Ariſtotelis è vertice editus videbatur ad lucem, quam eidem clariſſima paraphraſi reddidit, Athenienſi in Porticu non modò locum, ſed ſtatuam meritus.

A dextris.

DOMINICVS MARINVS.

Patriarcha Hieroſolymitanus, & Archiepiſc. Genuenſis.

Excipe Prætorem tuum, Roma,
Qui Mundo moderando præbuit parem ſe,
Cùm potuit moderari te, compendium
Mundi.
Et vos adeſte Hieroſolymitani,
Quibus ſi non oris præſentia,
Adfuit certè nominis authoritate.
Tu verò venerare filium tuum Genua,
Quem Antiſtitem venerabaris;
Potuit auferre Dominicum mors;
Venerationis auferre meritum nequit.

IV-

Digitized by Google

IVLIVS ARESIVS.

Veterum auguſto cætui ſapientum,
Quis adſcribi Iulium vetat?
Certè ſapientia iubet Imperatrix;
Hæc Mediolanenſium Senatui
(Qualem dicimus Areopagum)
Præſidem Areſium dedit.
Nunc conſilia magni Conſulis rogas?
Quam ſuorum ille dictorum,factorumque
Conſciam habuit,
Conſule famam.

A ſiniſtris.
MOYSES HANAISIVS
Archiepiſcopus Cypri.

Romam hic è Monte Libano venit,
Vt meliori ſapientiæ cedro
Animum imbueret in Vaticano.
Cypri renunciatus Antiſtes,
Cyprijs flammis pudoris obiecit niues.
Sed arſit contra Fidei deſertores,
Quorum perfidia ſublatus veneno eſt.
Quid, niſi venenum pararet Cyprus!
Quæ Mundo venenariam Venerem dedit.
O quàm vicinum Veneri venenum eſt!

AV-

AVGVSTINVS PALLAVICINVS.

Antiqui claritatem generis
Noua is æquauit ingenij prærogatiua.
Adiunctam Auguſto nomini Palladem
E' Græca Liguſticam fecit.
Philoſophiæ illuſtria monumenta
In lucem publicam edita,
Lucem ſeculo amplificauerunt.
Potuiſſet è fæcundo capite
Nouam extundere Mineruam,
Sed voluit æmulari propiùs Iouem.
Poſuit Chriſtophorus Archintus Sem. Rom. Conu.

Complebant Arcum XXV.

VILNA, MOLSHEMIVM, DVACVM.

Vigilantem egit Epiſcopum Vilnæ VALERIANVS, dum eam propugnaculo muniuit, quod non ferrum, non flamma dirueret. Vilnenſe Collegium velut Arcem extruxit ad publicam tutandam ſecuritatem. Arietent in hanc hoſtilia tormenta, ſi poſſunt, quæ pro fundamento virtutem habet, pro munitione doctrinam. Inanis pugna omnis eſt, vbi propugnat ingenium.

In-

Infra.

Non ſolùm armis circumſonat Belgarum nomen, literata etiam fama tubam hìc animat ſuam. Feciſtis operæ pretium IOANNES LERTAILLERI Abbas Aquicinctine, & IOANNES DE LONGOI Marchianenſis Abbas, qui Duacenſe Athenæũ excitando in campo Martis Mineruam triumphare iuſſiſtis.

Vt in hac luce Romana Molshemiũ appareret, Author fuit IOANNES Epiſcopus è familia Comitum à MANDERSCHEIT Molshemienſis Collegij fundator. Non poterat intra vnius vrbis, aut prouinciæ fines liberalitas tanta coerceri; voluit in hoc Mundo compendiario ſpectari.

Herculeæ fortaſſe Columnæ videri in littore poterant COSMVS BARDVS patria ſua Archiepiſcopus Florentinus, ac Firmanus Archiepiſcopus ALEXANDER STROZZIVS: neuter nominis augurio carens; nam ſicut ille Mundum, ſic iſte Macedonem præferebat; ac ſi Vterque genio, ingenioque maior diceret: vnus non ſufficit. De duobus verò, eo ipſo quod vltimi erant, iure dici etiam potuiſſet: aſcende ſuperiùs: *MVTIO nempè RICCERIO Cardinalium*

lium Collegio à Secretis, niſi quod clariora latinis è muſis tranſcribens oracula, verum ipſe in carminibus fuerat exemplar. AVRELIO tandem VRSO ſat maximo pro elogio erat, VRBANO VIII. fuiſſe cariſſimum, vt famam referret æqualem; ſed pretium ſimul ac præmium illi, tanti Principis iudicium fuit, cui ſuauiores in Apolline deliciæ eadem latina carmina erant, ac Gentilitiæ Apes Floræ in hortis exortæ dulciora mella condere dederant.

A dextris.
COSMVS BARDVS
Archiepiſcopus Florentinus.

Meliorem hunc Tiberis Arnò
Reſtituit, quia fecerat
Romana Minerua doctiorem:
Creditum ſibi Florentinum Gregem
Cura cuſtodiuit oculatiſſima.
Dicerem Argo parem,
Si ſemper ille vigilaſſet.
Vigilauit perpetuò Coſmus,
Facturus ſibi vigilem poſteritatem;
Hinc ludis noſtris adeſt, & famæ ſuæ.

MV-

Digitized by Google

MVTIVS RICCERIVS.

Non hic cum Scæuola manum armauit ferro,
Sed calamo muniuit erudito.
Nec opus habuit illam purgare flammis,
Quam ardore Poëtico purgarat ſatis.
Diuorum merita carmine proſecutus,
Effigiem inſuper Beati Magni
Poëticis coloribus animauit.
Se interim feliciter expinxit:
Quo penicillo quæris?
Quem adhibere pietas nouit.

A ſiniſtris.

ALEXANDER STROZZIVS

Archiepiſcopus Firmanus.

Debemus tibi, Florentia, Cæli noſtri
Decus illuſtre, Strozzianas Lunas,
Quas hìc luce literarum auctas,
Ad Picenos tranſtulit Alexander.
Firmano Cælo affixæ Prouinciam
Afflatu ſaluberrimo recrearunt.
Occidit Alexander,
Lucet adhuc auguſta Lunarum trias:
Non enim ea nouit occaſum Luna,
Cui pro Sole pietas, ac ſapientia eſt.

Digitized by Google

AVRELIVS VRSVS.

Vos huc laureas afferte Belgæ:
Alexandrum nempè Belgicum illum,
E' Familia Farneſia triumphatorem
Dixit hic verſu planè triumphali:
Sed vota præuertit noſtra gentium
Coronata regnatrix Roma,
Quæ Vrbani VIII. laudatoris manu
Ciuem ſuum laurea redimiuit.
Si parum id eſt;
Maiorem quære maximo Coronarium.
Poſuit Comes Michaël Angelus Caballus Sem. Rom. Con.

Claudebat toti operi Iannam, ſeu ſpectatoribus ora ſequens Cardinalium agmen, nouo quaſi portento, quod occaſum diemque aurora ſuis purpuris obſeraret.

ALEXANDER CÆSARINVS.

Epigramma.

Seruat Alexander Regum conclaue, tuendis
Par tot Alexander Regibus vnus erat.
Vaticana legunt Vrbanum ſidera Solem,
Et regnatrices flagitat Orbis Apes.
Vrbanũ Vrſa fauis inhians ſcrutata parẽtem eſt,
Nulla magis niueos repperit Vrſa fauos.

IO:

Digitized by Google

IO: BAPTISTA PAMPHILIVS.

Epigramma.

Quæ Pallas ore Pamphili loquebaris?
Mundi arbitram vox vna figebat Rotam:
Rotabat eadem vox Iberiæ Solem:
Ignatium locabat in Cæli ſinu:
Quæ Pallas ore Pamphili loquebaris?

PETRVS PAZMANVS.

Epigramma.

Fœderat ingenio Proceres, Turcamq; furētem
Victor ab extremo Cæſaris Orbe fugat.
Ferro hoſtes, auro Pazman deuincit amicos,
Auro inopes, auro templa, Deumque ligat.
Aurũ cũ ferro domat omnia; ſed tua, Pazman,
Ferrum, aurumq; poteſt vna domare manus.

ANTONIVS SANCTACRVCIVS.

Epigramma.

In quo magnanimũ venerata Polonia Romã eſt,
Grataque Publicolas Felſina vidit Auos.
Illius & Soboles, Helene cui maxima in Vrbem
Credidit Heroi dona gerenda Crucem. (hoc
Hanc geris, Antoni; quod ſtēma ſuperbius? vno
Stemmate nobilius non tulit ipſe Deus.

Digitized by Google

IO: BAPTISTA PALLOTTVS.

Epigramma.

Prætor eras Vrbis, Romani ad Cæſaris Orbem
Mitteris, & magni Cæſaris ore places.
Purpura te reuocat: ſuperū rapis igne Quirites;
Et Lauretanæ Virginis ore beas.
Roma fauet, Cælumq; probat, Pallote; nec Vrbi
Cæſaris ore places, Virginis ore places.

GREGORIVS NARVS.

Epigramma.

Cui Romana Fides aurum, mundiq; Tribunal,
Altorique ſuo credidit Orbis opes,
Gregorio accendit regales purpura flammas,
Et Themis hinc humeros integit, inde Fides.
Gregori in aſtra fugis: Cælumq; Deumq; petenti
Non tibi lana ſoli, purpura Solis adeſt.

LVCAS ANTONIVS VIRILIS.

Epigramma.

Cõtigit hoc nulli; geminat tibi Roma Curules,
Et munus gemini Iudicis vnus obis.
Regia te blandum mirata eſt Orphea Quercus,
Vrbinum Vrbano reddere cui licuit.

Dex-

Digitized by Google

Dextra Virũ loquitur, par rebus mille gerendis,
Non muliebris erat dextra, Virilis erat.

CYRIACVS ROCCIVS.

Epigramma.

Pectoris ingenui tenet alta Sacraria candor,
Araque candoris mens oculata ſui eſt.
Regia cui frontis reſeratæ & regia mentis
Regia non via, ſed lactea Cyriaco eſt.
Neſcius eſt falli, qui neſcit fallere; nunquam
Qui Sol eſt alijs, non ſibi candor erit.

AVGVSTINVS OREGIVS.

Epigramma.

Tergeminas vno decurrit Oregius anno
Gymnadas: ingenio nã mora nulla mora eſt.
Dux fuit ingenio Virtus: ad ſidera anhelæ,
Quid ni virtuti purpura meta foret?
Purpurat ingenium in libris: tamen altiùs Aſtris,
In libro Vitæ purpurat ingenium.

Eodem in Cælo hactenus rubeſcente neſcias Heſperum, an Phoſphorum referrent, tres Sacri Imperij Electores, Pontificio quoque in Sacello ſiti cum Senatoribus terræ, ac ſicut Cæſari pro Germania à Secretis, ita

ita Germanico in Collegio didicerant eiuſdem ab Aquilis pennas accipere, eo quoque Pyrrhi referentes reſponſum: Sed pennæ vos eſtis.

Erant triſulcum quaſi fulgur tres IOANNES SCHVVICARDVS, GEORGIVS FRIDERICVS, & ANSELMVS CASIMIRVS Moguntini Archiepiſcopi, vel tunc ea Chlamyde digni, cùm Diui Apollinaris in templo ſanguineis erant veſtibus inſigniti.

IOANNES SCHVVICARDVS
A CRONBERGH
Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus.

Epigramma.

Quæ Mariana canunt oracula Ferdinandum
Elector magnæ Virginis ore legis.
Collegam elegit Mariam, ſed Cæſar eandemq;
Imperij Auguſtam, militiæque Ducem.
Cęſaris & Magni, & Magnę quoq; Virginis idem
Ioannes eſt Elector: id eligere eſt.

GEOR-

GEORGIVS FRIDERICVS GREIFENCLAVRI

Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus.

Epigramma.

Perfidiæ domitor, Fideique adamantinus Atlas,
Sæpè Palatini vocibus Angelus es.
Qui toties aras ſuperùm violauerat, illi
Inuiolata tui nominis ara fuit.
Cæcus adulator laudator amicus amici eſt,
Sinceriſſima laus hoſtis ab ore datur.

ANSELMVS CASIMIRVS WANBOLD AB VMBSTAT

Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus.

Epigramma.

Nomine ab Anſelmi Cicero Germanicus audis,
Vſque adeò immenſo cum Cicerone tonas.
Si tamen Imperij pro Maieſtate tonandum eſt,
Nō modò lingua,ſed & dextra diſerta tua eſt.
In cauſis alijs nomen Ciceronis adoptas,
Cæſare pro Magno Cæſar es,& Cicero.

Obſi-

Digitized by Google

Obſignabant tandem vltimo in Numiſmate plurima ſiuè diplomata, ſiue volumina omnium Dignitatum vno quaſi in faſce inuoluta, & coaceruata ad vberrimæ meſſis pompam inſignia, eo Romanis faſcibus auguſtiora, quod pro virgis, ac ſecuribus non niſi Sceptra, ac Coronas, Pada, & Mitras, Gladios, & Cydares oſtentarent; omnia ſimul, atque optimè vna loquebatur Epigraphe: SVPPLENT INSIGNIA VVLTVM, *aliorum Heroum in Imaginibus excuſans ſilentium; quibus loci anguſtiæ velum, ac ſiparium in ſcena vltima obducebant: ac tantum oculorum damnum vmbræ potiùs, quàm lumina illuſtri caligine confundebant, imitatæ Pictoris ſolertiam, qui deſperans totam Gigantis molem vna tabula exprimere, non niſi illius digitum pinxit, quem plures ſatyri calamo metirentur.*

Plin lib. c.

SVP-

SVPPLENT INSIGNIA VVLTVM.

Quid hìc ego de Vobis addam,
Qui ſupereſtis adhuc innumeri?
Exceſſit anguſtias Theatri noſtri
Veſtrorum
Interminata meritorum amplitudo.
Nec ea in breuem huius orbis
Ambitum cogi potuēre,
Quæ vos in Orbis Terrarum
Immenſitatem explicaſtis.
Dolerem ſanè,
Et Theatro vos excluſos;
Et deſtitutos Elogio;
Sed nec Elogium vobis deeſſe,
Nec Theatrum poteſt;
Quibus pro Elogio Fama,
Pro Theatro Mundus eſt.

Digitized by Google

Sed ad maius totius Theatri ornamentum diſpertita fuere ſupra Epiſtylia varia antiquorum præſertim Aegyptiorum ſymbola, veluti ſparſæ reliquiæ laceri Obeliſci, in quem ſi connectebantur, conſurgebant. Continebant illa Pontificum, & facultatum, quorum ſigna Gymnaſium exornabant laudes varias, habebantque ſingula ſuam interpretationem è regione poſitam lingua diſſimili: omnes percepiſſet, qui quinque ſupra triginta, totidem enim erant, linguas calluiſſet.

Nouum Theatrum, cui apparando ſæculo integro opus fuit, primi omnium ſpectatum venere FRANCISCVS, & ANTONIVS CARD. BARBERINI, ac THADDAEVS BARBERINVS eorum frater Vrbis Præfectus, pars ipſi quoque ſpectaculi. Poſtridie Kal. Auguſti patuere tum primùm valuæ Collegij, & copia omnibus ſpectandi facta, diſceſſere omnes admiratione pleni. Eadem die P. IO: BAPTISTA ANDRIANVS Primarius Rethor ſequentem Panegyricam Orationem dixit in Aula maiori Vrbano VIII. Gregorio XIII. & Gregorio XV., habuitque inter alios auditores prædictos tres Barberinos Principes.

ORA-

ORATIO.

ADeſtis aliquando tandem ea oculis vſurpaturi ſpectacula, quæ iam dudum prænunciante fama, immiſſo in hanc diſciplinarum Regiam animo prælibaſtis A A. Patet aliquandò Theatrum illud, in quo ſcenam exhibente ſapientia, geſtum ſolemniori ritu facturæ prodeunt Artes bonæ, tota ſpectante ſimul, ac plaudente huc ſeſe deportantium Vniuerſitate Nationum. O' fortunati Rhetoris egregiam ſortem, cui ſtudijs veſtris occurrere datum eſt primo! faciam proinde, vt arbitror, muneri meo ſatis, ſi de tota rerum ſerie vos erudiam paucis. Quos igitur anno à fundata Societate Centeſimo, in hoc Theatrum Sapientiæ reuocauimus Sæculares ludos, eos cæterarum gentium prima ſpectauit ſeria Terrarum omnium Imperatrix Roma; cuius annum quemque Centeſimum ea geſtientium animorum ſignificatione celebratum accepimus, vt paſſim per Vrbem choreas ducerent immixta puerorum cœtibus agmina puellarum, quæ cum ijſdem ſolemnia inter ſaltandum carmina identidèm ingeminabant. Frequentiſſimus verò per eos dies Ordinum omnium concurſus erat ad aras, ac delubra, vbi conceptis preci-

bus pro collatis in Vrbem beneficijs gratias agebant Dijs ſuis. Celebritatem hanc ſanctiore nos inſtituto reuocauimus, Auditores, vt quoniam pro acceptis integro ſæculo beneficijs gratias Deo agere ſoli non poteramus, Romæ totius, atque omnium penè gentium auxiliares veluti preces haberemus. Et ne quid antiquæ pompæ Roma recentior deſideraret, quemadmodum *illa* Sæculares ad ludos Capitolium aſcendebat, vt etiam inter ludicra triumpharet; ita nos in hoc triumphantium Capitolio Doctrinarum ſolito ſpectabilius, atque ornatius aperiri curauimus Amphitheatrum, in quo Ædilis Sapientia daret hoc anno Sæculares ludos. Sæcularis autem Carminis loco, eorum hìc per octo dies encomia prædicabimus, qui totum inferioris Periſtylij ambitum, circumductis in coronam ſuis ipſorum imaginibus, exornant, quod olim ingenio, ſimul ac laureata diligentia coronarunt. Quare primum hunc Pontificum elogijs addictum diem excipient, non longo à Pontificibus interuallo diſſiti Cardinales, eorum nempè Purpuratorum Patrum, & altioris fortunæ Principum encomia craſtinus exequetur Orator, quos hìc à fundato Collegio habuimus Auditores. Eos luculento Panegyrico

rico Tertius exornabit, qui poſt excultum hìc bonis artibus ingenium, vel eruditis laboribus ſæculum illuſtrarunt, vel eximia morum probitate, & rerum geſtarum gloria perilluſtres ſupra mortales reliquos emicuerunt. Illos tandem cæteri laudabunt, quos in Italia, & Sicilia: in Luſitania, & India Orientali: In Hiſpania, & India Occidentali: in Gallia, & in Germania, Belgio, ac Polonia munificos Academiarum Fundatores habuit Ignatiana Familia. Egregium ergò Pontificum Triumuiratum, quē ad auguſtiorem Theatri ſpeciē oculis exhibuimus, geminos nempè GREGORIOS, BONCOMPAGNVM, & LVDOVISIVM, nomina illa Societati noſtræ fortunatiſſima, & VRBANVM VIII. Gymnaſij noſtri lumen primum, ac decus, quo tenuitati noſtræ licuerit elogio cumulatum accipite, Quirites, & quamquam animos geritis Cælo pares, nullam tamen imparem hìc extimeſcite dictionis humilitatem, vbi in omnem dicendi ſublimitatem attollere poterit oratorem ſupremo proxima Numini Pontificia Maieſtas.

Sed antequam in interiora Gymnaſij orationis impetu prouehamur, in ipſo tantiſpèr veſtibulo ſubſiſtere non erit ab re. Tu verò properantem aliò remoraris oratorem, IGNATI,

qui

qni ludis noſtris, ne dicam an tuis? non tam ſpectator, quàm ſpectaculum ades, introeuntibus primum, exeuntibus verò poſtremum. Ex illa enim Concha, quæ vile tectorium exuta, pretioſum paulò ante ſuperinduit argenti velamentum, intereſſe Te ſpectaculis noſtris eximiè gratulamur, quia ipſa ſibi concha niues gratulatur in ſinu, quod tot annorum interuallo, vacuam vno tandem contigerit impleri Te, qui gemma es, & margarita Sanctitatis; conchas enim implere non niſi gemmarum eſt. O' gemmam non Cælo plorante conceptam, ſed inter Cæli ſuper hominum pœnitentia geſtientis gaudia procreatam! plorante quippè veriùs, quàm rorante Cælo margaritæ concipiuntur, vt non poſſimus effuſam in nos Cæleſtium Orbium benignitatem non admirari, quorum lacrymæ dum fætura mirabili tranſeunt in margaritas, in amabiles interim abeunt riſus auaræ mortalitatis: ita ſuis etiam è lacrymis gaudia moliri noſtra conſueuit Cælum. Tu verò non è Cæli lacrymis in gemmam deſciuiſti Pater, ſed cùm tuis ipſe lacrymis (ò lacrymas Cæleſtium ſeminarium nobile margaritarum!) cùm lacrymis inquam tuis Manreſiam tu rupem irrigabas; tunc geſtiente, ac plaudēte Cælo candidam formabaris in margaritam,

ritam, quam in ærario Diuinitatis inferendam, vno gloriæ pretio redimeret Negotiator pretioſiſſimus æternitatis. Quàm opportunè magnorum Te Virorum coronæ addidimus, qua non tam noſtrarum Reginam hanc Academiarum, quàm Princeps hoc ſæculum coronauimus tuum. Non alia debuimus gemma orbem claudere annuli noſtri, quo in annorum ſeriem feliciorem aſſerere placuit annum hunc Sæcularem. Et quoniam pretioſioris naturæ oculus gemma eſt, quo lumen illa rebus addit, ac decus; ades Academiæ noſtræ gēmeus cuſtos oculorum pretioſiſſime, vt cui naſcenti manus olim obſtetrices adhibuiſti, eiuſdem nunc adultæ vigiles incolumitati: gemma ſcilicet excubante cuſtodiri poteſt noſtrorum hæc Gymnaſiorum nobiliſſima gemma. Et ſanè quem Ignatio meliorem Athenæo noſtro poſſimus admouere cuſtodem! qui non tam oculata diuinæ caritatis flamma ſplendidè gemmaſcit, quàm igne ſuo luculentiſſimè candeſcit. Certè alterum à Romulo Romanorum Regem Pompilium, ignem in ara Veſtæ perpetuum aſſeruari voluiſſe memoriæ proditum eſt, vt ad ſimulacrum Cæleſtium ſyderum Cuſtos huius Imperij flamma vigilaret, ad noſtrarum proindè rerum cuſtodiam excubare immortalium

flam-

flammarum, & ſacrorum ignium munus eſt. Huc ergò vigiles ignes tuos affer IGNATI, vt eorũ incremento ardor ille creſcat in dies, quo ad æternam bonarum artium cuſtodiam exæſtuat & excubitor oculatiſſimus Boncompagnus Draco. Atque hìc, vt ad XIII. GREGORII laudationem propiùs accedamus; opportunè facta mentio Boncompagni Draconis monet. Tametſi tàm difficile eſt celebrare GREGORIVM, cui celebrando vix eſſe ſatis rerum Vniuerſitas poteſt. Quo die Cælum in miſſilia luculentèr effuſum vniuerſam Terrarum immenſitatem obruit ignearum fortunatiſſima tempeſtate linguarum, ea redimitum corona GREGORIVM nouimus, quæ regnãtis in Cælo Diuinitatis Vicariã in terra Maieſtatem notat. Tota ſe tunc Vniuerſitas Cæleſtibus linguis inſtructam vidit, tota vt olim de Pontificum celſiſſimo Gregorio loqueretur. Loquetur autem, nunquam à præconio ceſſatura; donec illa ſtabit incolumis, & æui comitem ſui laudem Gregorij trahet; vtpotè quam vnus ipſe ampliſſima caritate comprehendit, bonarum artium ſtudijs illuſtrauit vnus, vnus denique in omnium ſæculorum æternitatem beneficijs animauit. Et qualem vos mente concipitis animam, Auditores, dum auream Gregorianæ

rianæ beneficentiæ animam auditis? quæ potuit vna in GREGORII laudes animare terrarum Vniuerſitatem. Præclara cum Platone philoſophantium familia in eam venit hac de rerum Vniuerſitate ſententiam, vt ſpiritu per immenſos Cæli, Terræque tractus diffuſo, idoneis velut abſolutiſſimi corporis artubus, infuſo dixerit animari. Sed fuerint hæc, vel ingeniorum ſomnia delirantium, vel ſomniantium deliramenta Philoſophorum. Equidem dum Gregorianæ beneficentiæ ſpiritu animatum ad encomia ſuſpicimus Orbem terrarum, animam eſſe aliquam intelligamus, quæ immane hoc, verèque magnæ animæ capaciſſimum corpus, animare poſſit. Eam verò auri animam eſſe quis neget? pretioſior metalli principis medulla auri anima eſt, eaque vſque adeò vulgarium metallorum contumacia vinci perhibetur, vt ſi fortè illius portione modica reſpergatur, vitam ſubitò induat auguſtiorem. Nouerat id fortaſſe GREGORIVS, & quamquàm gloriæ cæteroqui faſtidioſiſſimus, cùm tamen præter numeratæ pecuniæ ſubſidia non exigua, quibus Imperatorem, Reges, plurimoſque Europæ Principes, ac Dynaſtas iuuit, quadraginta millia ſupra vicies centena aureorum millia erogauit in pauperes, verè auri anima Vniuerſita-

ſitatem aſperſit, nullam, vt nationem reperire fas ſit, vel moribus adeò ferreã, vel adeò ingeniorum hebetudine plumbeam, quæ GREGORIVM non prædicet, cuius beneficio contigit ingenium induere mitius, & in mores abire aureo ſæculo pares. O' auream ſæculi melioris inſtauratricem manum tuam, GREGORI, qua inſpirato vitalis veluti beneficentiæ ſpiraculo totam in tui præconia mortalitatẽ animare potuiſti! Fauete linguis, Auditores, & quæ de parietibus iſtis eloquentiſſimè GREGORIVM dicunt excitata vbiq; locorum, ac gentium veteris æmula Maieſtasis Athenæa, ſuis adhuc è regionibus Gregorianam teſtantia liberalitatem accipite. Nonne auditis ex Auſtria Viennenſe, Græcenſe de Styria, Pragenſe de Boẽmia, Olomucenſe de Morauia, & de Pruſſia Brusbergenſe, è Lotharingia Muſſipontanum, è Lithuania Vilnenſe, Claudiopolitanum ex Tranſiluania, Auguſtanum ſimul ac Dilinganum è Germania, è Saxonia Fuldenſe, Rhemenſe de Campania? Num ex Iaponia extrema illa cadentis Mundi, naturæq; lacinia, quam inſulam ex frequentibus argenti fodinis antiqua nuncupatione Argentariam, deriuato illuc liberalitèr auro, Aurariam GREGORIVS fecit? Num inquam ex Iaponia non excipitis Funaienſe,

Ari-

Arimenſe Anſuchanum? Num ex Italia Lauretanum Illyricorum, & Heluetiorum Mediolanenſe? Id autem quid eſt aliud, rogo vos, niſi totam in ſui laudes eloquentem feciſſe gentium Communitatem? Ex hac verò Terrarum Epitome auguſtiſſima, quis voces Græciæ non audit, cuius Alumnis, & Zenonis porticu magnificentius, & Ariſtotelis Lycæo nobilius, & Platonis auguſtius Academia, Gymnaſium excitauit? Quis non excipit ex hoc loco Germaniam, cuius nationi generoſiſſimæ palæſtram extruxit, è qua tot in dies aduerſus Lutheranam Hydram Hercules prodeunt, quot in Septentrionem bonarum artium armis inſtructi tranſmittuntur Atletæ. Addit Germaniæ voces ſuas Anglia, cuius Ephæbæum ne dixerim, an exulantis è Patria Religionis Aſylum? tot celebrãdo GREGORIO præcones nutrit, quot ad Religionis, ac Fidei propugnationem bellatores alit. Vos verò Libani montis accolæ laudatiſſimi Maronitæ, num veſtra cedro digniſſima præconia GREGORIO non offertis? Sanè ſi ſculpitur ex vna cedro Mercurius, vos in eloquentiæ præſidem Deum cedros veſtras effingere, atque animare debetis vniuerſas, tot vt Mercurijs GREGORIVS exornetur, quot habet Libanus cedros. Hæc autem quæ, inter-

prete me, fundatorem ſuum laudat Sapientiæ Regia, quot vni laudando GREGORIO format oratores? Annis quippè ſingulis Aula hæc earum laudum tributa GREGORIO ſuo perſoluit, quas ille fecit ſibi ex omnium mortalium ordine vectigales. Ita qui beneficia ſeminat, linguarum noualia ſeminator egregius colit, vnde meſſem ſempiternam colligit encomiorum. Iam verò noſtram ad ſe orationem reuocat XV. GREGORIVS, cuius poſita hìc olim facinorum tyrocinia illuſtrium, meritò in ſui laudes excitant memorem poſteritatem. TERTIODECIMO GREGORIO deceſſori ſuo cognominis voluit Ordinem noſtrum non abſimili caritate complecti, quod ſi non adeò prolixa, ideò fuit, quia votis erga nos conceptis enimuerò magnis, obſtitit inimica mors, cuius vnicum votum eſt, magna vota immaturè præcidere. Sed inclinatus in mortem Pontifex optatiſſimus immortalia nobis reliquit monumenta beneuolentiæ ſuæ. Exceſſiſti tu quidem, vti ſpes eſt, ad Superos, GREGORI, felicitatis æternæ præproperus occupator, è noſtrum tamen memoria vſqueadeò non exceſſiſti, vt exceſſurus nunquam, hìc apud nos æternùm viuas. Debemus fortunæ noſtræ ſimul, & modeſtiæ tuæ, quod ex amplitudine Baſilicæ

Vati-

Vaticanæ demigraueris ad anguſtias noſtras, quæ tamen tunc fieri viſæ ſunt auguſtiores, cùm auguſtiſſimas exceperunt exuuias tuas. Scilicet huius etiam patrimonij nos inſtitutos hæredes voluit magnus ille tuus Cardinalium vertex Ludouiſius, qui cùm bona nos ſuarum diuitiarum portione donaſſet, voluit etiam eo cari cineris pignore cumulare. Ita quaſi nihil haberet amplius, quod in noſtrum congereret ſinum largitor ille propemodùm infinitus, nihil vt ſibi reliquum faceret, ipſas etiam ſuorum mortuorum reliquias nobiles impertiuit. Voluit enim, niſi me fallit opinio, futurorum ille prouiſor oculatiſſimus, vt proximis è cineribus tuis ignē quotidie caritatis excitaremus ad amandum te Patruum ſuum; ratus videlicet pari non poſſe caritate GREGORIVM diligi, ſi non ea Gregoriana ſit; tametſi opus ita factò non fuit, vbi flammas nutrit beneficentia viuaciſſimas. Et verò num amore te ſempiterno nō amabimus, GREGORI, qui IGNATIVM, & XAVERIVM Proceres noſtri Ordinis primos ſacris altaribus admouiſti? Profectò quoties IGNATII, & XAVERII nomina Societati noſtræ ſuauiſſima iteramus (iteramus autem frequentiſſimè) toties in GREGORIVM nouo caritatis igne ſuccendimur, cuius benignitate no-

ſtras

ſtras ad preces inclinata, in Sanctorum numerum cooptatos Parentum noſtrorum Principes adoramus. Quinimmò cùm Ordinem noſtrum, vel in Cælo beneficijs occupaueris, ſi qua gratiarum, & amoris cura Superos tangit (quæ verò non tangat in Regno caritatis, & gratiæ conſtitutos) gratias & illi ſuadente caritate referent immortales. Atque ita fiet, vt qui Cælum ſimul, & Terram beneficentia complexus es, in æterna tui præconia Terra ſimul conſpiret, & Cælum. Sed fortaſsè nimis diù veſtram ego expectationem detineo (Quirites) qui votis omnibus, & optatis, ad extrema iam encomia depoſcitis VRBANVM. Illud ergò præſtabimus, quod periti facere conuiuatores ſolent, quorum eò tota collimat induſtria, vt exeunte conuiuio bellaria in menſam inferant, iucundum abſoluti iam epuli condimentum. Quis autem dũ celebrari ſentit VRBANVM non intimam ſubitò medullam mellis animo delibat, cùm Principem nouerit ſuauiſſimo conditum nectare omnium gratiarum? Melli tam vndique dulcedinem ſtillat, qui totus gentilium Apum opificio deſciuit in fauum. Hauſtum è Florentino Cælo florem ingenij alendum ille Gregorianæ Palladi commiſit. Hìc enim ſedit Auditor MAPHÆVS, tota ſemel

au-

audiente mortalitate ſeſſurus in Vaticano Interpres Oraculorum VRBANVS. Hic illum nobis erudire datum eſt, quem aliquando æmulum Pindari debebamus audire doctorem. In exedris hiſce noſtris in ſpem Imperij magnam adoleuit VRBANVS. Suſpexere maiores noſtri non ſine poſterorum inuidia egregiam indolem, natumque ad laureas caput, & frontem illam auguſta maieſtate pleniſſimam demirati, iam tunc neſcio quid magnum certa præſagientis animi præſenſione diuinabant. Vt mirandum propterea non ſit, ſi cùm ex ephæbis exceſſiſſet, magnus ſapientiæ prætextatus, ſuamque in negotijs pertractandis dexteritatem Pontifici probauiſſet, Nuncius in Galliam fuerit allegatus ad Regem, vt à quotidiana Regum conſuetudine diſceret, quid eſſet in Purpura Regibus æquiparari. In ea verò Regum Aula, quæ ingenij prudentiæque miracula diſpenſabat? vt inde omen acceperit Gallia, quæ Nuncium ſuum Vaticano deſtinauit Imperio. Æqualis ergò Regibus à Regum omnium Principe Paulo Pontifice V. renunciatus, Romam è Gallia rediuit, hoc eſt à Regum Patria Ciuitatem repetijt Regum. Obijcite hìc vobis animis (Quirites) è ſublimi Alpium vertice deſcendentem MAPHÆVM Cardinalem

BAR-

Digitized by Google

BARBERINVM, diceriſq; in illa montium celſitudine eorum veſtigiorũ rudimentum nobile poſuiſſe, quibus olim per Vaticana culmina gradcretur. Illuc enim Te tuorum meritorum veſtigia deportarunt, VRBANE ab ea die, quæ iam propiùs appetit, reuehitque felicitatis noſtræ primordia, ſeptem ſupra decem annos eo in ſolio regnaſti, vnde iura dixit Vniuerſitati Regnator in Terris Deus. Quantum rogo vos Academiæ noſtræ decus accedit, Auditores, cui tantum Eccleſiæ Romanæ Pontificem, tantum Regnanti in Terris Diuinitati Vicarium contigit educaſſe. Pignus nos immortalitatis ſtatuam Alumno magno poſuimus, at ijs exprimere lineamentis VRBANVM nequiuimus, quibus Principem æternitate digniſſimum in Theatro gloriæ manu ſua ſculpſit æternitas. Atque vt olim, qui de gentibus deuictis triumphabant Imperatores, inter pompæ fercula ſubiectarum Vrbium ſimulacra, vt bellicæ virtutis indicia deferebãt; ita nos cùm Te in hoc Sapientię Capitolium inueximus triumphantem, egregiorum quę geſſiſti operum ſimulacra expreſſimus, futura poſteris VRBANÆ virtutis illuſtria monumenta. Ita nempè triumphare Pontifices decet. Reliquum iam eſt à Romanis habitas ludis ſæcularibus preces, ſanctiore nos affectu

fectu repetamus. Salutem illi Populo, & incolumitatem precabantur Imperio ſempiternam, æquiore nos iure dum Societati noſtræ ſalutem, & maiora conſecuturo ſeculo precamur omnium incrementa virtutum; ſecularem interim, hoc eſt, abſolutam ſeculi felicioris incolumitatem rerum in terris Imperatori Maximo precamur Vrbano.

Coronam fecere eodem in loco varij Scholarum Magiſtri per ſeptem dies diuerſas orationes recitando: Primus laudauit Purpuratos Patres; Secundus alios omnes, quorum vultus per ambulationem diſpertiti. Tertius Collegia Italiæ, & Siciliæ; Quartus Luſitaniæ, & Indiæ Occidentalis; Quintus Hiſpaniarum, & Indiæ Occidentalis; Sextus Galliarum; Septimus Germaniæ, Poloniæ, & Belgij. Poſt quos ideſt 8. Auguſti VRBANVS VIII. Pont. Max. vt nouis & inexpectatis certè indicijs eam beneuolentiam ſignificaret, quam erga Societatem Vniuerſam ſemper conſeruauit, & Romanum præcipuè Collegium, in cuius ſcholis teneros annos omni illa eruditione; atque doctrina excoluit, quæ ei deinde inter literatos facile principatum obtinuere; Purpuratis Patribus octo, ſcilicet S. Onufrij, Franciſco, & Antonio Barberinis, Pallotto, Bichio, Cæſarino, Brancacio, atque Columna; Palatina nobilitate, & Prætorianis equitum, peditumque cohortibus ſeptus de Quirinali Palatio deſcendere non dedignatus, nouam

S. IGNATII Baſilicam primùm adijt, adoratoque Numine, in Aulam excipiendis ab Urbe adeuntibus, Gymnaſio proximam, ſe contulit. Hic è ſolio iam ante erecto, qua pro tanta beneuolentia, atque humanitate publicè grates ab vno è Societate, SFORTIA nempè PALLAVICINO (quem poſtea vidimus S.R.E. Cardinalem ab ALEXANDRO VII. creatum) agebantur, audiuit ſequentem breuem Orationem.

Circumſpicies, quæ tua eſt clementia, BEATISSIME PATER, velut eruditæ famæ Theatrum, in quo Gymnaſium noſtrum ſpectandos exhibuit, quos fœtus ipſum ediderat vnius intra ſeculi ambitum ſapientiæ, ac Religionis bono in ſpem aliquam æternitatis. Etenim ad hoc Theatrum, ſpectaculum veriùs quàm ſpectator accedis. Scilicet frequens iſta iuuentus ſacræ, Vaticanoque militantis Palladis cohors in Te vno Principe, ac Parente ſuo viuum, vegetumque ſuſpicere geſtit, atque adorat, quidquid eruditionis, gloriæ, ſanctitatis nuper adumbratum contemplabatur per inanimes haſce telas magnarum tot animarum effigiem referentes. Enimuerò non Stoa, non Academia, non Lycæum, non vniuerſa illa Græcia, quæ Muſarum ſeſe matrem iactabat, comminiſci vnquam potuit per fabularum audaciam, vel Alumnum adeo memorabilem, vel plauſorem

rem

rem excelſum adeo; qualem veritate adſtipulante gloriatur literaria hæc Palæſtra in VRBANO VIII. In Vrbano, inquam, qui ſacri Regni ditione, vel terrarum fines prætergreſſus, eos inſuper ſapientiæ dominatu ſibi ſubmiſit admiratores, quos rebellis ſuperſtitio non ſinit Regalis Cathedræ ſanctimoniam reuereri. Non eſt tamen cur vllam modeſtiæ laudem vindicet ſibi minima noſtra Societas, quod hic nullam domeſticorum ſuorum imaginem oſtentauerit, quin profectò glorioſum ipſa elogium de ſe protulit per breuem illam ingentium tuorum in nos beneficiorum enumerationem, quam tuo ſubſcripſit ſimulacro atrij huius honeſtamento; ſiquidem amplè ſe laudat, qui plurima ſe accepiſſe commemorat ab Optimo, & ſapientiſſimo Principe, nihil extrà virtutes adamante. At verò tantis beneficijs proh quantum hodierna luce cumulum addidiſti VRBANE? Meminiſti porrò adiudicatum à vetere Philoſopho potentiæ ſupra ſapientiam principatum, eo nomine, quod ſapientes in ianuis Potentum excipiuntur. Iam per Te domui noſtræ contigit, vt non ampliùs hoc titulo ſapientia ſuccumbere pertimeſcat; quando Tu Regnator humana, diuinaque ſapientia Maximus Te conſpiciendum præbere non de-

dignaris in harum ianuis ædium, vbi Sapientia ipſa non poſtremum familiæ ſuæ domicilium collocauit.

Interim oblatum libellum, quo expreſſa extremo penicilli acumine ex rerum ab eo geſtarum ſymbolis in Atrio depictis, poſitoque ſigno apographa continebantur; accepit lubens, voluebatque. Tum ſingulas Porticus; & conuerſa ad caudium ſimulacra luſtrauit, & per otium contemplatus eſt. Decantabant interim, dum ille geſtatoria ſella (quam prima Societatis capita præcingebant) circumferebatur, varij è ſuperioribus ambulacris Chori Paraphraſim in Pſal. 116. muſicis tum quidem numeris, ac poëticis olim ab ipſomet Pontifice, cùm in minoribus adhuc eſſet, ſic ligatam:

Laudate Regem Siderum,
Gentes per Orbem diſſitæ,
Omnes Populi canant
Diæ laudis honores.

At Iuuentus intereà non temerè per ambulationes vagari, non ruere effuſa, aut alterno æſtu refundi videbatur, ſed Literarum ludis incluſa adorauit è limine prætereuntem. Ille ad ſingularum Scholarum fores interquieſcere paululùm paterno vultu, ac Pontificio ritu Adoleſcentibus fauſta omnia precari. Atque vbi Magiſtros, & Diſcipulorum quemlibet centenario extraordinariarum, quas vocant, Indulgentiarum numero diuitiores fecit, diſceſſurus in ipſo limine, Collegio

gio

gio vniuerſo Apoſtolicam dextera luſtrationem impertitus: tum plenus lætitia, eadem, qua venerat pompa, in Quirinale Palatium ſe recepit.

Hæc fuit non inanis pompæ, aut friuolæ iactantiæ adumbratio, ſed apparatus omnium oculis digni delineatio qualiſcumque. Has tamen Viator, ac Lector ſeu ſatur, ſeu laxus veteres Imagines, pius vt Aeneas ab Ilio profugus tecum domum in oculis, atque animo porta, totum noſtrum ſeculum, quod mortalibus arridet, ac diſplicet: tot fœcundum, atque onuſtum viris immortalibus humeris, ac brachijs ſuſtine, & quoniam canitie ſimul ac fumo ſplendidas vmbras tot per porticus, totque per atria perluſtraſti, tecum reputa, quod Valerius Maximus ſuos olim Romanos voluere voluit: Idcirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes Poſteri non ſolum legerent, ſed imitarentur: abi, & Vale. Virg. Æneid. 1

IN·

INDEX EORVM,
Quæ in hoc Libro laudantur.

PONTIFICES.

Gregorius XIII. Situs, & elog. pag. 14
Gregorius XV. 19
Vrbanus VIII. 8

Cardinales, qui Scholas Collegij Romani frequentia ſua antequam ad Purpuram peruenirent, nobilitarunt.

A

Alexander Cæſarinus. Situs,& elog. 154
Alexander Montaltus. 43
Aloyſius Caetanus. 138
Aloyſius Capponius. 109
Andreas Perettus. 73
Antonius Barberinus. 101
Antonius Barberinus Card. S. Honuphrij. 100
Antonius Caietanus. 137
Antonius Sanctacrucius. 155
Auguſtinus Oregius. 157
Auguſtinus Valerius. 42

B

Bartholomæus Cæſius. 72
Benedictus Iuſtinianus. 44
Bernardinus Spada. 139
Bernardus Maczicauuski. 75
Bonifacius Caetanus. 107

Ca-

Index.

C

Carolus de Comitibus. 75
Coſmus de Torres. 137
Cynthius Aldobrandinus. 71
Cyriacus Roccius. 157

E

Erminius Valentius. 76
Emeſtus Adalbertus ab Harach. 139

F

Fabritius Verallus. 108
Fabritius Veroſpius. 142
Ferdinandus Taberna. 77
Franciſcus Barberinus. 101
Franciſcus Boncompagnus. 137
Franciſcus Cenninus. 135
Franciſcus Dieſtriſthein. 74
Franciſcus Toletus. 45

G

Gregorius Narus. 156

H

Henricus Caetanus. 43
Hieronimus Mattheius. 44
Hieronymus Pamphilius. 76
Hieronymus Ruſticuccius. 42
Hieronymus Vidonus. 141
Horatius Lancellottus. 111
Horatius Maffeius. 108
Horatius Spinula. 107

I

Iacobus de Caualerijs. 140
Iacobus Serra. 110
Innocentius de Bubalis. 76
Ioannes Baptiſta Detus. 75

Ioan-

Ioannes Baptiſta Lenius . 109
Ioannes Baptiſta Pallottus . 156
Ioannes Baptiſta Pamphilius . 155
Ioannes Garzia Millinus . 78
Iulius Sabellus . 135
Iulius Sacchettus . 140

L

Laudiuius Zacchias . 139
Laurentius Magalottus . 103
Lælius Biſcia . 140
Lucas Antonius Virilis . 156
Ludouicus Ludouiſius . 136
Ludouicus de Torres . 78

M

Marianus Perbenedictus . 44
Martius Ginettus. 141
Michaël Angelus Tontus à Nazaret. 108
Michaël Bonellus. 42

O

Octauius Bandinus . 72
Octauius Pallauicinus . 45
Octauius Rodulphus . 138

P

Paulus Aemilius Zacchias . 73
Petrus Aldobrandinus . 71
Pompeius Arigonus. 73
Petrus Paulus Creſcentius. 110
Petrus Pazmanus. 155
Philippus Philonardus . 109

R

Robertus Bellarminus. 74
Robertus Vbaldinus. 111

Sci-

Digitized by Google

S

Scipio Burgheſius. 77
Scipio Cobellutius. 135
Stephanus Pignatellus. 136
Siluius Sabellus. 72

T

Tiberius Mutus. 134

Virorum Illuſtrium, qui eaſdem Scholas frequentarunt.

A

Alexander Buccabella. 105
Alexander Strozzius. 133
Andreas Saluatorius. 130
Anſelmus Caſimirus. 159
Antonius Volfradt. 35
Appius de Comitibus. 121
Archangelus Mercenarius. 82
Auguſtinus Maſcardus. 52
Auguſtinus Pallauicinus. 150
Aurelius Vrſus. 154

B

Balthaſar Cagliareſius. 65

C

Camillus de Lellis. 39
Carolus Barberinus. 102
Carolus Mutus. 114
Chriſtophorus Buſſonius. 113
Conſaluus de Corduba. 117
Coſmus Bardus. 152

D

Daniel Malonius. 41
Dominicus Marinus. 148

F

Federicus Furnerius. 84.
Franciſcus Diotalleuius. 51

G

Gabriel Chiabrera. 129
Georgius Carmenienſis. 70
Georgius Coneus. 64
Georgius Fridericus. 159
Georgius Kalkenreid. 48
Georgius Straquanus. 65
Gregorius Boncompagnus. 126
Gregorius Sayrus. 116
Gulielmus Giffordius. 60

H

Henricus Dux Ceſius. 132
Hieronymus Badeſius. 57

I

Iacobus Boncompagnus. 125
Ioannes Adolphus. 47
Ioannes Boterus. 53
Ioannes Sabellus. 145
Ioannes Suicardus. 158
Ioannes Tetzel. 36
Ioannes Tomchus. 40
Ioannes Carolus Marchio Badenſis. 133
Io: Antonius Vrſinus. 113
Io: Baptiſta Remboldus. 106
Io: Baptiſta Stella. 118
Io: Donatus Barberinus. 102
Io: Georgius Cæſarinus. 129
Io: Mattheus Cariophilus. 61
Io: Petrus Vulpius. 52
Ioſeph Vellaminus. 69

Iulia-

Digitized by Google

Iulianus Cæſarinus . 128
Iulius Areſius. 149
Iulius Cæſar Stella. 119
L
Laurentius Frizolius. 56
Lælius Pellegrinus. 12
Ludouicus Carbo. 133
M
Marcellus Francolinus. 37
Marcus Antonius de Gourges. 68
Marcus Antonius Bonciarius. 134
Marcus Sitticus ab Altemps. 32
Marianus Valguarnera. 145
Martius Alterius. 36
Moyſes Anayſius. 149
Mutius Riccerius. 153
N
Neapolio Comitolus. 38
Nicolaus Alemannus. 32
Nicolaus Barberinus. 103
O
Oliuerius Beltraminus. 121
P
Paulus Benius. 60
Paulus Aemilius Sanctorius. 56
Paulus Sabellus. 143
Petrus Arcudius. 80
Petrus Trigoſius. 48
Philibertus Migliettus. 64
Philippus Caetanus. 118
Pompeius Vgonius. 61
Proſper Farinaccius. 122

R

Rodulphus Sheruinus. 129
Robertus Fornerus. 144
Robertus Mildetonus. 118
Rutilius Benzonus. 57

S

Simon Riſius. 67
Simon Maiolus. 80

T

Thaddæus Barberinus. 103
Thomas Dempſterus. 33
Torquatus de Comitibus... 122

V

Vvolfangus Theodoricus. 33

Index Ciuitatum.

A

Amaca. 63
Auaricum. 97
Aucnio. 111
Auguſta Treuirorum. 136

B

Baya. 63
Bituricum. 97
Bracara. 58
Burdigala. 116

C

Cæſarauguſta. 82
Calaris. 87
Caſtrumpalum. 116
Cocinum. 58
Conimbrica. 54

Di-

Digitized by Google

Index.

D

Dilinga. 127
Dola. 111
Duacum. 150

E

Ebora. 49

F

Flexia. 97
Friburgum. 127

G

Gandia. 66
Goa. 58
Granata. 87
Græcium. 119

H

Herbipolis. 146
Hiſpalis. 83

I

Ingolſtadium. 127

L

Lima. 91
Lugdunum. 111
Lutetia Pariſiorum. 104

M

Madritum. 79
Manila. 91
Mantua. 37
Mediolanum. 37
Meſſana. 34
Mexicum. 91
Moguntia. 146
Molshemium. 150
Murcia. 66

Muſſi-

Muſſipontum. 94

N

Nangaſachium. 63
Neapolis. 46

O

Olomucium. 130

P

Paderborna. 130
Panormus. 34
Parma. 37
Praga. 142

R

Rhemi. 116
Roma. 30

S

Saſſaris. 87

T

Toloſa. 94
Turnonum. 94
Tyrnauia. 119

V

Valentia. 82
Vienna Auſtriæ. 123
Vilna. 150
Vliſippo. 49

Index Scientiarum.

A

Aſtronomia. 29
Arithmetica. 22

D

Dialectica. 16

Ethi-

Index.

E

Ethica. 18

G

Geometria. 21
Grammatica. 27

H

Hiſtoria. 26

L

Lingua Græca. 22
Lingua Hebræa. 11.12

M

Metaphyſica. 15

P

Poëſis. 25
Phyſica. 17

R

Rhetorica. 24

S

Scientia Sacrarum Literarum Interpres. 10

T

Theologia. 10. 11
Theologia Moralis. 13

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google